SAMUELIS MARESII
APOLOGIA NOVISSIMA
pro S. Auguſtino, Janſenio & Janſenitis, contra Pontificem & Jeſuitas;

Sive

Examen Theologicum tripertitum Conſtitutionis nuperæ INNOCENTII X. P.R.

Quâ in gratiâm Jeſuitarum & Pelagianorum contra Auguſtini & Janſenij ſequaces declarantur & definiuntur quinque Propoſitiones in materia fidei.

Tramittitur Præfatio ad Janſenitas, & adjicitur ad calcem iterata editio Planctus Auguſtinianæ Veritatis in Belgio patientis, *ante aliquot annos in Brabantia emiſſi.*



GRONINGÆ,

Apud Viduam JOHANNIS NICOLAI, Inclytæ Civitatis Groninganæ Ord. Typog. 1654.

Nobilissimis, Generosis, Amplissimisque

VIRIS,

D. OTTONI van FARMPSUM,
D. TOBIÆ IDDECKINGHE,
D. REGNERO TIAERDÆ,
D. HENRICO WERUMEO J.U.D.

Quatuor viris Senatoriæ Dignitatis in Rep. Groningana;

D. JOACHIMO RIPPERDA Dom. & Toparchæ in Farmpsum / Dam / Helm. &c.
D. JODOCO LEWE, ter Nansou / D. in Cantes / &c.
D. ASINGÆ van EWSUM op Engelum / Dom. in Hunsterlant / &c.
D. LUDOLPHO TIARDÆ van STARCKENBORCH, D. in Wehe en Suyzdijck / &c.

Potentibus Illustrum ac Præpotentum Ordinum Groningæ & Omlandiæ Deputatis, Prudentissimis, Meritissimis;

UT ET

D. JOH. MEYNARDI,
D. NICOLAO BUSCH,
} J.U.D. Amplissimis & Consultiss. eorundem Secretariis Ordinariis;

S. P.

NOBILISSIMI, POTENTES, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI DOMINI,

NOn putabam me aliquid elaborare quod Vobis veniret offerendum, cùm nuper conscribebam tres illas Disputationes Examinatorias Constitutionis nuperæ Pontificis Romani contra Jansenianos, quas sub meo Præsidio, tribus distinctis vicibus, in frequentissima Corona, & magna cum sui laude, proposuit ac defendit Academico more, eximiæ spei & supra ætatem jam

doctus Juvenis, D. LUDOVICUS WOLZOGEN à MISSINGDORFF, æquè ſanguinis & veteris proſapiæ Nobilitate commendandus, ac magni ſui Parentis nobilitatus generoſâ clade, quam ex Auſtria pulſus à pluribus annis propter nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in hunc diem fortiſſimè ſuſtinuit. Sed ubi conſilium inij de tribus illis Diatribis in unum corpus colligendis, ac ſub titulo Apologiæ Noviſſimæ pro Auguſtino & Janſenitis, luce majori donandis, unà conſtitui quicquid iſthuc eſt noſtræ opellæ Veſtris Nominibus ſolemniter inſcribere, gravibus cauſis publicè & privatim id ſuadentibus & tantum non cogentibus. Publicum quod attinet, non neſcio Vobis omnibus, quâ eſtis Eruditione & Pietate, cordi eſſe hanc ipſam Cauſam de Gratia Dei, quæ nobis communis eſt cum iis viris longè Doctiſſimis Communionis Romanæ, quos Pontifex nuperrimè in gratiam Jeſuitarum publicè condemnavit; adeoque nec ingratum nec injucundum Vobis fore, illius Defenſionem Veſtrorum Nominum Sigillo & Tutelâ munitam prodire in publicum. Adhæc in hac Provinciæ Veſtræ conſtitutione fœlici, & Pacis tamdiu exulantis inſperata reſtitutione, per illam inexpectatam rerum Converſionem, quæ ſtylo Davidico *mutatio dexteræ Excelſi* dici poteſt, officij mei eſſe duxi, hanc redivivam Concordiam Vobis publicè gratulari. Quam enim verum illud ingenioſiſſimi Phædri, *Humiles laborant, ubi potentes diſſident*, tam ſingulorum in Rep. viventium intereſt, concordes eos eſſe qui ſedent ad clavum, & litium ac jurgiorum ſemina & fomenta apud eos radicitùs evelli. Pacis & Concordiæ ſtudio inter Proceres, revocatur cœlitùs Benedictio Divina in ſubditos; & quotquot in ſuis Votis & Conſiliis eò collimant, nec ſua quærunt compendia ex diſpendiis publicis, meritò ſibi queunt iſtud Servatoris noſtri applicare, *Beati qui ſunt pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Jam ſenſit publicum varios pacis

reſtitutæ

restitutæ fructus eximios; & ne quid dicam de largo subsidio præstito pauperibus, viduis, orphanis & senibus emeritis, quibus tandem honestè prospectum est, cùm ipsa Academia Provinciali ita liberaliter actum in nuperis Comitiis, ut quatuor simul Professorum novorum, in demortuorum locum, vocatio decreta, & NN. ac AA. Dominis Curatoribus, cum plenissima Commissione demandata fuerit. O verè fœlicem hanc Provinciam, si sua bona tandem intelligat, & id ei trabali clavo fixum maneat, suarum Liticularum, si quæ supersint aut forte postea oriantur, decisionem porrò extra seipsam non quærere, & vel largitioni in egenos, vel ornandæ Reip. vel Ærario augendo, eos sumptus impendere, quos infausti illi processus, non sine imminutione suæ Majestatis apud exteros, hactenus exhausêrunt. Nec illis amplius erit locus, si membra quibus constat, ex Menenij Agrippæ Apologo didicerint, non tam sui expletionem cum reliquorum atrophia, quam totius conservationem esse quærendam. Suprema lex omnium in Republica debet esse Reip. salus, & Unitatis semper major ratio habenda quam Unius. Faxit Deus Pacis, ut hæc Concordia nuper sancita perennet & ad seros nepotes propagetur, ad Nominis sui Gloriam, Reip. Commodum, Ædificationem Ecclesiæ, iique valeant in æternum qui dissidia nova inter Vos quærere vel serere studerent. Notius est in Belgica Fœderata quam ut pluribus debeat explicari, Concordiâ res parvas crescere, magnas dilabi discordiâ. Est & in publico alia mihi ratio Vos compellandi, *NOBILISSIMI, POTENTES, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI DOMINI:* Nam cùm in penultimis Comitiis, annitentibus, pro suo favore constanti in rem Academicam, nostris NN. & AA. DD. Curatoribus, Templi Academici, in quo Ministerio meo defungor linguâ Gallicâ; refectio, Theatri Anatomici restitutio,

Curiæ noſtræ Amplificatio, aliorumque Ædificiorum ad Academiæ commoditatem & ornatum ſpectantium reparatio, Ampliſſimo Veſtro Conſeſſui fuiſſet demandata, eam omnem curam duobus è Veſtro corpore commiſiſtis, Nobiliſſimis & Ampliſſimis Viris, quibus nullos ſibi faventiores Academia optare potuiſſet, & qui tanto cum Zelo ei rei incubuerunt, ut æternam inde laudem, apud cultores Muſarum, quamdiu earum caſtra hîc durabunt, ſibi ſint commeriti. Sunt illi N. & A. D. OTTO à FARMPSUM & Gen. ac N. D. JOACHIMUS à RIPPERDA, quos honoris cauſâ hîc nominandos cenſui. Nec potuit Academia ab utroque ſummum favorem non experiri; cùm & hic ſtirpis Nobiliſſimæ & perantiquæ, ad Virtutem Sanguinis adjecerit ſedulò omnem illam animi ad magna facti culturam, quæ ex Virtutibus Intellectualibus & Moralibus enaſcitur; & ille magno ſuo merito Curator Academiæ ſæpiùs antea fuerit, & Ordini Profeſſorio, qui non habet inimicos niſi Ignorantiæ & Ignaviæ myſtas, ſemper addictiſſimus. Inde enim colligimus nos Vobis eſſe in aliquo pretio, de quo & gratias habemus maximas, quod per tales veſtros Delegatos rem Academicam, cum NN. & AA. DD. Curatoribus, tam ſtrenuè procurare volueritis. Sed præter has publicas cauſas vos adeundi, *NOBILISSIMI, POTENTES, AMPLISS. & CONSULTISS. DOMINI*, ſpecialis me ad id urſit ratio, & ſtudium, quo ſemper teneor, ingrati animi culpam declinandi. Nam annus jam eſt revolutus ex quo Eccleſiæ Gallicæ Miniſterium, cujus antea nonniſi arbitrariam partem cum D. Paſtore *De La Haye*, qui obdormit in Domino, ſuſtinueram, in ſolidum mihi demandaſtis, eaque injeciſtis honeſta vincula abſque quibus facilè de ſtatione alia admittenda cogitaſſem, cum nec aliunde tentationes, nec alicujus faſtidij juſtæ rationes, Vobis notæ, mihi deeſſent; Quamvis autem id oneris

novi

novi in me contuleritis unanimi consilio, Summis quoque Viris, ex parte Civitatis & Omlandiæ, commendantibus & approbantibus, (quos nominare supersedeo, ne de nimio favore in Rep. Vestra videar gloriari,) ex Voto totius Ecclesiæ & cum omnium Bonorum Satisfactione ac Gaudio, non ideo tamen minus me Vobis obstrictum debeo profiteri; Recesserunt quidem ex Vestro Collegio, plerique ex illis qui tum illud constituebant; NN. & AA. DD. FOLKERS, LUBBERS, CELOS & BUNING, noster nunc Curator Dignissimus, redierunt ad Senatum: Gen. D. SICKINGA & Ampl. D. ab HANIA, locum aliis ex Vobis fecerunt, ut moris est. Imò ipse Amplissimus D. Doctor GERARDUS TEN BERGE, qui tum Vobis erat à Secretis, & hanc rem, ut pote membrum ferè constans Cœtus Gallicani, & de me benè ideo meritus, ursit vehementer, ab illo tempore, superato vestro Ordine, in Urbis Senatum fuit allectus: Quod tamen totum Collegium mihi tunc contulit, etiam num hodie, cùm citiùs id non tulerit occasio, toti Collegio, quâ par est gratitudine, acceptum ferre debeo. Quanquam & adhuc ei intersunt Nobilissimi & Generosi Domini, D. JOACHIMUS à RIPPERDA & D. JODOCUS LEWE, Viri Prudentissimi, Nobilitate, Virtute, Pietate, Sapientiâ insignes, de publico & de me optimè meriti, quorum, inter alios, summam tunc Benevolentiam & Humanitatem me fuisse expertum, grato recolam animo quamdiu hic spiritus hos reget artus. Igitur, *NOBILISSIMI, POTENTES, AMPLISS. CONSULTISS. DOMINI*, hoc qualecunque Gratulationis & Gratitudinis Anathema, ex ipsa *Gratia* confectum, Vestrorum Nominum Tholis per me suspendi æqui bonique consulite, & hoc Literarium Munusculum admittite sereno vultu, in tesseram animi Vobis devotissimi; Velit Deus Optimus

Maximus

Maximus Vos diutissimè Vestris ac Reipublicæ incolumes, Rempublicam verò Vobis semper florentem & tranquillam præstare, mihique id largiri Favoris & Gratiæ, ut quamdiu vivo, eamque Ecclesiæ & Academiæ quam possum præsto operam, à Vobis omnibus & singulis habear, qualis sum ex animo, videlicet

NOBILISSIMI, POTENTES, AMPLISS. CONSULTISS. DOMINI,

VV. NN. PP. AA. CC. Dominationum,

Humillimus & Addictissimus Cliens,


Ex meo Musæo Groningæ, 24. Decemb. 1653.

SAMUEL MARESIUS.

Præfatio

Præfatio ad Eruditos illos Viros

Communionis Romanæ, omnium Ordinum, qui hactenus steterunt pro Pauli, Augustini & Jansenii doctrina, de Gratia & Prædestinatione, contra Jesuitas.



Andem igitur, Doctissimi & Celeberrimi Viri, *Pontifex Romanus, & præter totius Orbis literati opinionem, voluit pronunciare in lite de* Gratia, *quam manibus* Cornelij Jansenij *moverunt Iesuitæ in Molinismi, sive potiùs Pelagianismi, gratiam, & contra vestram expectationem, quo tempore bona verba Vobis dabat corvos delusurus hiantes, in Adversariorum Vestrorum castra transiit, & quæ Vos ceu Orthodoxa & Catholica tuebamini, ex Sacrarum Scripturarum & purioris Antiquitatis fontibus, ipse nigro notavit lapillo, ac* Augustino, Jansenio, *Vobisque omnibus, inussit infame stigma Hæreseôs & Blasphemiæ. Quò plus sperabatis fore præsidij Vestræ Causæ in ipsius Authoritate, ad quam plerique Vestrûm cum impetu confugiebant, tanquam ad asylum Innocentiæ & Veritatis, freti bonæ causæ fiduciâ, reverentiâ Augustiniani nominis & tot Veterum Pontificum testimoniis, contra quæ nunquam iturum* Innocentium, *ut-ut insano favore Iesuitas prosequentem, planè confidebant, eò effusiùs illam explicavit in* Jansenij *& Iansenismi vestri acerbissima condemnatione, ut Vestram manum senseritis transfixam illâ arundine quâ niti volueratis, & amplam Vobis suppeditatam materiam querendi illinc tenebras prodiisse unde lucem orituram expectabatis: Olim nemini licuisset servum suum verberare, si vel in manu habuisset nummum cui Cæsaris imago impressa fuisset: Sed Romæ publicè vapulavit vester* Jansenius, *etsi fretus nomine & doctrinâ B. Augustini, non securitatem modò, sed favorem omnem, isthîc sibi polliceri debuisset. Iam saltem intelligitis, multo plus Romæ posse Rationes status, ex Macchiavelli Euangelio, quam argumenta Theologica, ex Disciplina Christi; atque adulationi vitiosæ tribuendum, non fidei Christianæ, dogma aliud Iesuiticum de* Infallibilitate Papæ. *Et ipse homo est, à quo nihil humani alienum. Forte in ipsa Gallia, Amplissimus Parisiensis Senatus, quo Augustiorem & Sanctiorem Orbis non novit, non patietur locum esse apud Gallos huic Innocentianæ*

centianæ Constitutioni, & memor solemnis sui placiti, conditi xv. Maji 1647. contrà hunc eundem Innocentium ejusque Bullam adversus D. Arnaldum editam, quâ proscribebatur hæc illius assertio, Sanctus Petrus & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt, *iterum prohibebit* omnibus Archiepiscopis, Episcopis, eorum Vicariis, Officialibus, Rectoribus, Suppositis Universitatum, aliisvè omnibus, admittere, promulgare, exsequi Decreta, aliaque Acta Congregationis & Inquisitionis Romanæ, alias-ve Bullas & Brevia, non impetratâ priùs Regis permissione, verificatâ in Curia; *& sic hanc* Constitutionem *contra vos factam, in grande præjudicium Regni & Ecclesiæ Gallicanæ, toto Regno exterminandam curabit. Quid vero Vos hîc facturi sitis, expectat omnis Europa; & fateor difficilem Vobis nunc incumbere Provinciam: Nec tacere honestum est, nec loqui tutum: Ab una parte Vos urget Causa Dei, cui ex conscientia deesse non potestis; ab altera Vos premit potestas Romana, neque hujus Dalilæ vincula, quibus jamdiu assuevistis, abrumpere Vobis facile videtur. Optimum tamen & tutissimum consilium foret cordate valedicere Communioni illius, qui Vos ab ea ita palam resecuit, ut debeatis deinceps aut turpi silentio prodere veritatem, aut illis contumeliis & pœnis Canonicis ac Temporalibus subjacere, quibus exponuntur in Papatu ij quos Papa Hæreticos declaravit. Nec est quod vereamini Vos subducere Communioni Romanæ, ne Schismatis culpam incurratis: Nam Schismaticus non est qui valedicit communioni Sedis alicujus notoriè Hæreticæ, qualem nostis in conscientiis Vestris Romanam se nunc profiteri: Noluissetis Arianorum tempore communicare cum Liberio ut-ut Sedis Romanæ Episcopo, postquam in Athanasij condemnationem subscripserat. Cur ergo velletis ultra communicare cum Innocentio, tam palam transeunte in castra Pelagij? Annon æquè nocens Pelagianum virus, quod Gratiam Christi subvertit, ac pestis Ariana quæ ejus Æternam Divinitatem subruebat? Iuxta vestrum & nostrum Augustinum* contra Cresc. Gram. lib. 2. cap. 7. Schisma faciunt quibus cum eis à quibus se dividunt una religio est, eadem Sacramenta, nihil in Christiana observatione diversum. *An Vobis, quæso, una est religio, cum Innocentio & Iesuitis Pelagianis, à quibus tam longè distat Orthodoxa vestra, quam condemnant, Sententia, ac cœlum à cœno? Quin schismaticus est, non qui fugit, ut sequatur & retineat Veritatem, sed qui fugat & persequitur, ut stabiliat mendacium, quod strenuè nunc contra Vos*

facit

facit Innocentius. Et quamvis ad tempus velitis cunctarier, eò tandem cum nostris Prædecessoribus adigemini. Conati fuerant curare Babylonem, sed illa noluit sanari, vèrum omni genere persecutionum sæviit in suos Medicos, unde coacti fuerunt eam relinquere Ier: LI, 9. Nec quicquam haberet Donatismi Vestra secessio, magis quàm nostra, etsi isto emblemate ornetur à nonnullis, ut adhuc factum dicis causâ à quibusdam Vestratium, Româ post suam probrosam & iniquam istbîc condemnationem per Helvetios redeuntium. Nam vitium erat merè personale, & præterea fictitium, quod Donatistæ objiciebant Cæciliano, cujus prætextu se subducebant communioni Sedis Carthaginensis, adeoq; Romanæ & aliorum toto orbe diffusarum cum illa communicantium. At nunc agitur, ut olim cum nostris, de erroribus in fide evidentibus, quorum Sedes Romana ἰπ' αὐτοφώρῳ rea est; Vt nemo Veritatis Catholicæ Studiosus, queat citra Hæreseôs Pelagianæ adoptionem, ne dicam de aliis, ejus fasces ampliùs agnoscere. Quod si olim omnes Ecclesiæ Africanæ in Nationali sua Synodo, cui præerat Aurelius, & magnus noster intererat Augustinus, non ita spectarunt Primatum Ordinis, quem per Canones obtinebat Sedes Romana, quin suam libertatem defensuræ adversus illius molitiones, appellationes transmarinas *prohibuerint, ut patet ex* Can. 125. Codicis Canonum Eccl. Afric. *quo judicio existimavit Bonifacius* II. *eas de facto à Sede Romana secessisse, an voluissent ei adhærere ullâ ratione, si notorias hæreses Pelagij & Cœlestij, quas hodie in Iesuitarum gratiam vester adoptat Nocentius, propugnare incœpisset? Saltem confido quod cum tantum Generositatis demonstraveritis hucusq; in sustinenda Invidia quam Vobis studuerunt conflare Iesuitæ, non despondebitis animum ex eorum Triumpho; ipsamque Dei Gratiam audietis unicuique Vestrûm dicentem,* Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. *Dum verò pendetis animi, & consilij ancipites inter sacrum & saxum diutiùs deliberatis, quod semel statuendum, hanc ego pro Vobis & Vestra causa adornavi Apologiam, propalaturus toti Mundo iniquitatem Condemnationis Pontificiæ: Nec dubitem plerisque Vestri Ordinis jucundum fore quod debeant nunc Adversarij Vestri id audire à me, quod ipsis dictum omnes velitis, etsi necdum repertus sit inter Vos post illum Iovis tonantis fragorem, qui ad illud dicendum se accingere ausus fuerit. Quod si liberiùs loquor, imò vehementiùs, tribuendum id justæ indignationi. Crœsi filio qui mutus semper fuerat, amor patris in summo periculo conjecti, sermonis usum restituere potuit. Vt ea cum παῤῥησίᾳ loquar de Vestro Pontifice, efficit Amor Veritatis*

ritatis

ritatis, quam ita violenter premi, indignissimè fero, & facit indignatio versus. Et cùm manum ferulæ Papali subduxerimus, scapham dicimus scapham, absq; verborum circuitione, & adinstar militum Philippi, res quasque suis nominibus exprimimus. Nemini verò mirum debebit videri, quod Reformatus, & Adversarius Sedis Romanæ, susceperim Defensionem eorum qui illi adhuc extrinsecè adhærescunt. Nam qui Veritati se auctoravit, eam amat ubicunque sit, adeoque citra ἀλλοτριοεπισκοπῆς vitium, ei ubivis laboranti opem ferre ex animo tenetur. Neque Iansenitarum modò hæc causa est, sed etiam Reformatorum, quos in damnatis à Pontifice Propositionibus habetis ὁμοδόξους. Hauriunt enim omnes eo respectu ex eodem fonte Scripturarum & Augustini; nec minus noster Augustinus *in his Controversiis quam Vestri* Jansenij. *Eandem bene agendi in natura lapsa* impotentiam *agnoscimus; Eandem* impeccantiam *sive ἀναμαρτησίαν Sanctorum, à Pelagio defensam, rejicimus; Eandem Gratiæ Medicinalis, Prædestinatione divinâ præparatæ,* efficaciam & infallibilitatem *propugnamus; Eandem* liberi & necessarij, *amicam conjunctionem in actibus humanis, defendimus; Eandem sanguinis Christi superfluam taxationem, sive redemptionem* universalem *omnium & singulorum rejicimus; Eandem gratuitam & liberrimam Electionem quorundam hominum in* massa peccati *jacentium, aliis justè præteritis* & *suæ corruptioni relictis, prædicamus; Et hanc* fidem quæ contra novos hæreticos novâ sollicitudine nunc defenditur, *ut à nobis contra Socinianos & Anabaptistas, sic etiam à Vobis adversus Iesuitas,* nunquam Ecclesia non habuit; *ut de ea loquitur Augustinus,* de bono Persev. cap. 23. *Quam non debeat Vobis vitio verti ab Adversariis Vestris, aut Vobismet pudori esse, hic noster consensus, non est quod multis explicem; Res ipsa per se loquitur; Num ideo ejurandæ vobis erunt Scripturæ θεόπνευστοι, quod & nos has vobiscum suscipiamus? Quod si præjudiciis istiusmodi luberet agere, quanto potiori jure Iesuitis objicere possetis in Capitibus quæ inter vos agitantur, pudendum syncretismum cum Hubertianis, Puccianis, Flaccianis, Anabaptistis, ipsisq; hodiernis Photinianis & Antitrinitariis? Nam sane ut Origenes quondam jecit fundamenta Arrianismi & Pelagianismi, Socini Discipuli, eodem impetu* Divinitatem *æternam Servatoris nostri Iesu Christi, & illius salutarem* Gratiam *rejiciunt: Et quæ impurissimi isti Hæretici docent de Libero Arbitrio, Gratia, Prædestinatione, Dei Voluntate, Decretis & Scientia, ut liquet ex scriptis Volkelij, Ostorodij, Socini & similium*

excita-

excetrarum, sunt planè gemina iis quæ Vos in Molina, Lessio, Suaresio, cæterisq; Iesuitis, jure summo improbatis: Nec difficile foret ostendere non minus Faustum Socinum, quam Faustum Rhegiensem, infaustas tenebrarum aves, Ludovico Molinæ prælusisse, & ei amentata sua tela, quæ in Gratiam Dei intorqueret, subministrasse. Et quis scit num Deus suâ Sapienti Providentiâ rem eo direxerit, ut per Jansenium *& Vos, hæc Theologiæ Christianæ capita dilucidiùs & apertiùs ad nostrorum sensum explicarentur his ultimis temporibus, quò viam sterneret partium in Religione dissidentium amicabili reconciliationi, illiq;* sarturæ quæ partibus hinc atque inde pendentibus *est* necessaria, *ut cum Optato loquar* lib. 3. contra Parm. *per quam omnes in unum Gregem sub uno summo Pastore conveniant? Certè aliquid est in Vestris Heroibus infirmitatis, dum omnem ingenij sui aciem eò intendunt, ut suas sententias Augustinianas Iesuitis oppositas, à nostris differre contendant; Vbi duo sic idem dicent, ut non sit idem, tum Ianseniana opiniones, à doctrina Reformatorum erunt distinguendæ: Quid enim Vestrâ interest quis dixerit quod dicitis, si modò id ipsum quod dicitis verum est? Quid opus est à nostrorum* sensis & argumentis B. Augustini doctrinam vindicare, *si tam coincidunt cum doctrina B. Augustini, quam* à Pelagio non satis procul abscedit *Molinismus Iesuitarum, ut olim censebat Schola Lovaniensis, qui eadem indice*, divinam bonitatem obscurat; justitiam enervat; Scripturis illudit; Patrum testimonia in sensus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi necessitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam generat; in salutis negotio quod præcipuum est homini donat, quod minus Deo; Gratiam Dei libero arbitrio subjicit, ac ejus pedissequam facit. *Cur non admittatis hîc quod sapienter à Vestro* Jansenio *dictum est* præf. lib. 6. de grat. Christi Servat. Facessat & ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur; Si enim Augustini est, illorum error esse non potest. *Ipse quidem* Jansenius *dicis gratiâ, quædam discrimina inter se & Calvinum voluit annotare*, lib. 8. de Grat. Ch. Servat. cap. 21. *Sed ab illis facilè supersedisset, si eo animo & eâ diligentiâ Calvinum legisset quò Augustinum? Negat primò Calvinus* esse in homine boni & mali electionem, *non quò neget alterutrum semper eligi sive ultrò appeti & adoptari ab eo qui alterutrum sectatur, sed quò neget hominem cor-*

ruptum & peccatorem se indifferenter habere ad utrumque, & posse insitis suis viribus citra speciale Dei Auxilium, quod verè bonum est vel cognoscere vel appetere ac eligere: Id videre est lib.2. Inst. cap.2. §.7. Liberi arbitrij, *inquit*, hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni ÆQUE ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione. *Nec uspiam secundò disputat Calvinus an in sensu diviso, supersit in homine potentia dissentiendi Gratia moventi, cum hac quæstio sit de lana caprina & nihil faciat ad rhombum, sed loco quem notat* Jansenius, *videlicet* lib.2. Inst. cap.3. §.10. *idem dicit quod ipse & Vos omnes, nempe Gratiam* voluntatem *movêre*, non qualiter multis sæculis *à Scholasticis* traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo: *Quid enim hac verba aliud sonant, quam quod ipse docet* Jansenius, fieri non posse ut actualis dissensus, cum actuali Dei motione jungatur? *Tertiò tantum abest ut Calvinus* lib.2. cap.3. §.7. nolit hominem gratię moventi pedissequâ voluntate consentire, *ut ibi è contrario conceptis verbis* non malè à Sancto Viro *Augustino* dictum *asserat*, epist. 106. Omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante non ducente, pedissequâ non præviâ, voluntate; *Sed solum negat id ita intelligendum, ut inde statuatur præexistere Gratiæ bonam voluntatem, aut hanc ab illa non pendere & fieri, contra illud quod laudat* ibidem *Augustini*, Laborant homines invenire in nostra voluntate quod nostrum sit, & non ex Deo; & quomodo inveniri possit ignoro. *Quartò sic negat Calvinus* lib. 2. cap.2. §.3. Virtutes & vitia esse in nostra potestate, *ut non neget posse hominem & benè & malè agere in sensu diviso, idest malè sibi relictum, benè per Gratiam excitatum, liberatum & renovatum; sed tantum ut rejiciat cum* Jansenio, *illam indifferentiam contrarietatis in sensu composito, quæ* ab Augustino constantissimè negata, & à Pelagianis contentiosissimè postulata, *à multis Scholasticis admissa fuit*, qui quocunque modo arbitrium sive gratiæ, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant, cum utravis ejus dispositione posse fieri, ut utrumlibet velit, sive bonum sive malum; pro illa sola scilicet innata indifferentia voluntatis, quæ sub quacunque dispositione actum præveniente, sese suâ libertate in utramvis partem flectere potest; *quâ sententiâ datâ*, nihil facilius est, *inquit* Jansenius lib.8. de Grat.

Christi

Christi Salv. cap. 20. quam totum Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. *Etenim, ut pergit, si talis indifferentia adhuc post peccatum superest, sequitur*, liberum arbitrium non esse peccati iniquitate violatum, integras adhuc persistere voluntatis vires, nullam esse contractam peccandi infirmitatem *&c.* *Quintò denique Calvinus*, Liberum arbitrium *quadantenus negat nunc convenire homini, & mallet potius illâ voce abstineri quo sensu vulgò usurpatur, valdè alieno à mente Augustini, atque improbat quod arrogantiori vocabulo apud Græcos* αὐτεξούσιον *dicatur* lib. 2. Inst. cap. 2. §.4. & 7. *non quod neget illam facultatem liberè volendi & citra coactionem quicquid volumus, naturâ omnibus inesse; Sed partim quod statuat cum Augustino hominem peccando seipsum & suum liberum arbitrium perdidisse, ita ut nunc nec à miseria, nec à servitute peccati liberum sit, sed tantum à necessitate coactionis; partim quod per hæc nomina Philosophi voluerint hominem facere independentem à Deo, saltem in agendo; Et hoc ipsum ipsemet statuit Vester Iansenius, qui passim prædicat arbitrij humani* servitutem, *& conceptis verbis asserit* illo cap.21. lib.8. ante citato, *neminem in Veterum monomentis versatum ignorare*, quantâ orationis luce tum S. Augustinus, tum S. Bernardus, cum duobus eruditissimis amicis suis, Hugone & Richardo de S. Victore (ut nihil de intermediis *dicatur*) ipseque adeo Magister sententiarum cum illis primis doctis ac sanctis commentatoribus suis, SOLAM coactionis necessitatem ab arbitrij libertate sub noverint. *In his igitur quinque capitibus, in quibus voluit videri Jansenius à Calvino dissentire, nihil reverâ est quod cum Augustini, & Iansenij ac Verbi Divini doctrina optimè non cohæreat. Vt potius id dederit Vir Doctissimus importunitati Adversariorum suorum, quos prævidebat, uti jam olim in D. Michaele Bajo fuerat factum, sibi Calvinismum & Lutheranismum objecturos, quam rei ipsius veritati. Verumenimvero tantum abest ut debuerit Pontifex propter hunc Vestrorum cum nostris consensum in istis capitibus de Prædestinatione Gratia & libero arbitrio, Vos Hæreticis, Blasphemis, Impiis, Contumeliosis in Deum annumerare, ut è contrario, fuisset Patris communis Christianorum, qualem se profitetur, sibi gratulari de hoc consensu, atque ex illo optare, ut similiter elucidatis aliis quæstionibus inter nos & suæ communionis Doctores agitari solitis, possent tandem partes ad pacis resarciendæ in Christianismo solida Consilia devenire. Neque omninò id foret desperan-*

desperandum, si quâ fide & diligentiâ Jansenius *ex Augustino has Controversias eruderavit, alij ex eodem & aliis Veteribus cum Dei Verbo collatis, Syntagma doctrinæ purioris de Iustificatione, Eucharistia, Cultu Religioso, Ecclesia, &c. concinnarent. Sed hoc ipsum videntur metuisse Iesuitæ, quò vivant ex tristi hoc ulcere, tam inutiles futuri Pontifici, instar militum exauctoratorum post factam pacem, quam jamdiu graves sunt Ordini Episcoporum, si Pax Religionis unquam inter Christianos in Europa procederet: Hinc quò se necessarios magis faciant Sedi Romanæ; dilatant quantum possunt fossam dissensionum quæ vigent inter illam & nos, & sicubi eam vident coarctari per Moderatiores & Doctiores, quales estis, nihil antiquius habent quam illos perduellionis & communicatorum cum hostibus publicis Consiliorum accusare. Quod autem spectat hanc meam præsentem scriptionem, eam ut æqui bonique consulatis etiam atque etiam rogo: Auxiliares copiæ undecumque veniant, nunquam sunt contemnendæ. Ea est hujus Causæ Sanctitas & Iustitia, ut hominibus tacentibus, lapides potiùs sint loquuturi quam omninò indefensa maneat. Etsi nullus dubitem, quin accuratior multo pro Vobis Apologia ab aliquo Vestrûm potuisset prodire, cum Nobis eminùs positis, circumstantiæ omnes Processus Papalis minùs pateant, & quæ ex illis possent erui contra nuperam* Constitutionem *argumenta nullitatis; habeatisque in Gallia & Belgio viros Eloquentissimos & Doctissimos, quos inter non sine honoris præfatione nominandi mihi veniunt,* Tossanus des Mares, *ex Societate Patrum Oratorij,* Ludovicus de Sainct Amour, *Socius Sorbonicus,* Lubertus Fromondus, *Ocellus Lovanij, qui si animum recolligant ab ea consternatione, in quam ex inexpectato Pontificis judicio inciderunt, minusque homines quam Deum respiciant, eas poterunt parare Vindicias Veritati, ex quibus Curiæ Romanæ, Iesuitis, ac toti orbi, facilè constet, eam quidem ad tempus premi, penitùs tamen opprimi non posse.* Laborare potest, vinci non potest, *inquit Hieronymus* lib. I. advers. Pel. *Et quamvis non dubitem, aliquos fore inter Vos tepidos, timidos, ac vertumnos, paratiores δουλεύειν καίρῳ quam κυρίῳ, qui, ut à Duacenis factum, quos hodie non pudet quod olim benè fixerat sua Facultas Theologica serviliter refigere, facilè patiantur os sibi occludi, vel metu excidendi suo temporali, vel spe pinguiorem aliquam offam consequendi; ea tamen erit, sic confido, Vis Veritatis & efficacia Gratiæ, ut plures sint utramque ex dictamine suæ Conscientiæ omnibus humanis respectibus prælaturi: Audete modò quod est Virorum Bonorum & Honestorum, pro tam justa*

justa causa, nec deerit successus Vestris Conatibus & Consiliis; Difficilia semper quæ pulchra; Veritas magis quam Aurum, per medios ire satellites, Et perrumpere amat saxa, potentiùs ictu fulmineo. *Nunquam ita fœliciter cum illa agetur in mundo, quin pariat odium, & persecutionem patiatur: Nihil tamen, judice Paulo, debemus posse contra illam, sed tantum pro illa: Et cum nihil magis erubescat quam abscondi, videte ne eam in injustitia captivam detineatis. Gloriosum est pro illa pati, & honore tandem coronat omnes qui se constantiâ & patientiâ coronaverint in illius Defensione.* Justum & tenacem propositi virum, Non civium ardor prava jubentium, Non vultus instantis tyranni, Mente quatit solidâ, neq; Auster, Dux inquieti turbidus Adriæ, Nec fulminantis magna Jovis manus; Si fractus illabatur Orbis, Impavidum ferient ruinæ. *Porrò ad calcem hujus meæ Apologiæ curavi recudi Vestrum* Planctum Augustinianæ Veritatis in Belgio patientis, *ante aliquot annos editum, quò constet, Primò Romam manifestam tyrannidem exercere & proficere in pejus, ac Innocentium longè duriùs & iniquiùs in hac causa egisse quam Vrbanum, multoq; acerbiorem* Ϛρηνωδίαν *Vobis imperasse; quasi usurpatâ voce Tyrannicâ Roboami*, Pater meus castigabat vos flagellis; ego autem opprimam vos in Scorpionibus. *Mellea enim fuit Vrbani Bulla, mellea deprehendetur quæcunq; illius gratiâ passi estis, quæ tamen amarum illum* Planctum *Vobis extorserunt, si cum hac* Constitutione *nupera Innocentij conferantur. Secundò nihil Vobis Vestros libellos* Fidei, Justitiæ, Charitatis, *profuisse, apud homines fide, justitiâ, charitate destitutos, & quos sola regit* oculi nequam, *ut ibi loquebamini*, invidia in antiquam & Orthodoxam S. Augustini doctrinam à JANSENIO fidelissimè expressam. *Tertiò, parum prudenter plerosq; Vestrûm ab Innocentio expetiisse ut ipsas fidei quæstiones, hîc controversas, decideret, justo etiam liberaliùs obtruso et palpo prætensæ suæ* Infallibilitatis, *cùm jam tot præjudiciis Orthodoxiam gravasset Curia Romana, in qua multo plus possunt Iesuiticæ artes, quam vel amor Veritatis, vel purioris Vetustatis reverentia. Denique necessitatem Vobis impositam ex vestrismet hypothesibus, agnoscendi Innocentium artibus Iesuitarum illectum, nunc in Pelagianismi gratiam, paria fecisse adversus Augustinum, Iansenium & Ecclesiæ Catholicæ fidem Orthodoxam, de Prædestinatione, Gratiâ & Libero Arbitrio, cum iis quæ olim fecit Constantius, impius Imperator, Arrianis impulsoribus, adversus Athanasium, & fidem Ca-*

tholicam de æterna Christi Divinitate, adeoque hoc respectu Sedem Romanam, non alio loco Vobis habendam, si vestras audiatis Conscientias, quam Sedis pestilentiæ. Id cogitate, & Valete.

APOLO-

APOLOGIA NOVISSIMA
TRIPERTITA,
PRO
S. AUGUSTINO, IANSENIO,
ET
JANSENITIS.

Auguſtinus de Prædeſt. Sanctorum cap. 17.

QVos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, illa ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum: Non ergo alios, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit; nec alios, ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit; nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.

PARS

PARS PRIMA;

Continens Generales quaſdam Reflectiones ſuper motivis & ſucceſſu futuro nuperæ Conſtitutionis Pontificiæ contra Auguſtinum & Janſenitas.

NOn malè dictum ab Ethnico, *Quos Jupiter vult perdere dementat:* Sæpè enim videmus homines, præpoſteris ſuis conſiliis, quaſi juſto Dei judicio excæcatos, præſens ſibi exitium accerſere, & cum turdis eum viſcum proferre quo illaqueantur & capiuntur. Cujus rei nobile exemplū hoc tempore nobis exhibet modernus Pontifex INNOCENTIUS X. qui dum immemor illius Publij Mimi, *Ad pœnitendum feſtinat qui citò judicat*, in gratiam factionis Jeſuiticæ, non tantum *AVGVSTINVM I anſenij*, ſed in Janſenio, ipſum S. Auguſtinum & totam Catholicam antiquitatem, atro notat lapillo, videtur Divino ſcotomate percuſſus omnia ſua conſilia in Sedis Romanæ perniciem conſultò deſtinaſſe, atque in nuperrima ſua *Conſtitutione* deciſoria quinque Propoſitionum fidei adverſus Janſenitas, funeſtum excitaſſe Cometam, qui ultimam ruinam portendit ſuæ Babeli.

2. Jeſuiticæ factionis homines, miros ſibi duxerant triumphos ex mea *Synopſi veræ Catholicæque doctrinæ de Gratia & quæſtionibus annexis*, ante biennium edita, quâ *Catechiſmum Gratiæ* à Janſenitis Gallicè promulgatum, primùm Lutetiæ, tum Ambiani, deinde Gandavi, Latinè emiſeram, & *notis* illuſtraveram; demonſtraturus Viro-

rum istorum Doctorum in communione Romana, nobiscum consensum in gravissima hac materia: Nam quidam *Valentinus Randour* Theologiæ Doctor & Professor Regius in Academia Duacena, 14. Maji anni superioris, in *Oratione* quadam Inaugurali, in speciem contra me, revera contra Jansenitas, habita, & quæ unâ constans phylirâ typis fuit vulgata & ad me missa sub involucro puro, (incertum an ab aliquo Jesuiticę factionis, qui nollet me latere suorum de meo opusculo judicium, an ab aliquo Jansenita, qui optaret insubidam illam Orationem à me refutari) vehementer jactabat, quod inflixissem *Iansenitis luculentius vulnus quam hactenus ab ullo alio inflictum fuerit.*

3. Putarunt enim Jesuitæ fore id sibi pro aculeo erga Pontificem ad præcipitandam condemnationem Jansenitarum, quod Reformati in Belgio, de suo cum illis Syncretismo in capitibus de Prædestinatione, Gratia & Libere Arbitrio, publicè gloriarentur. Nihil enim putant se plausibilius habere quod illis objiciant quam Calvinismum: ut hîc mihi videantur boni viri inter suos, eodem esse loco cum Helizæo quondam inter Israelitas, qui illi suum exprobrabant *Calvitium* 2 Reg:11,23. dum eos insimulabat Idololatriæ: His enim Jesuitæ, spiritualis Idololatriæ circa suum Liberum Arbitrium & Pelagianismum convicti, nihil præter Calvitium & Calvinismum objiciunt, ut meritò queri possint cum Tertulliano *Apolog. cap. 2.* quod *nomen* in se *damnetur non crimen.* Quin ipse Jansenius illi cavillo videbatur satisfecisse, etiam apud eos qui nos habent pro hæreticis, *lib. 8. de Grat. Christi Salv. cap. 21.* his verbis; *Non omnia quæ hæretici docent sunt hæretica:* Item, *Si qua in re Calvinus cum Augustino & antiquis PP. senserit, non propter Calvinum Augustino indignandum est, sed propter Augustinum Calvino potius gratulandum.*

4. Nec sanè mens mihi fuit Jansenitas gravare apud suos, òdio & invidiâ Syncretismi nobiscum: nam & illi pari ac potiori jure, si præjudiciis esset agendum, possent Jesuitis objicere Syncretismum cum Arminianis & Photinianis sive Socinianis, quos habent ὁμοψήφους in his ipsis Controversiis: Sed potiùs ita volui ipsis gratulari, quod bèneficio ejus Gratiæ quam propugnant, eousque in veritate profecissent, ut ipsis possemus dicere quod Christus Marci XII, 34

illi Scribæ qui cordatè responderat, *Non longè es tu à regno Dei*: Virtus & Veritas vel in hostibus laudandæ sunt: Nec quid quisque dixerit attendendum, sed quam benè.

5. Quanquam non defuerunt mihi aliæ causæ illius meæ Scriptionis. Primò enim censui interesse Ecclesiarum quæ Sedi Romanę nuncium remiserunt, ut apud illas propalaretur magnum hoc dissidium quod hactenus flagravit inter Theologos Pontificiæ Communionis, sicque his eriperetur materia porrò vel de sua unitate gloriandi, vel Protestantibus suas lites & dissensiones objiciendi; Nam omni culpâ debet carere qui in alios dicere paratus est. Secundò ita volui innotescere quibus ex lacunis sua quondam hauserint in hoc Fœderato Belgio, *Iacobi Arminij* Discipuli, qui sibi *Remonstrantium* nomen adoptarunt; nempe ex Molinæ, Lessij, Fonsecæ, Suaresij, similiumque Jesuitarum doctrina, quam Augustino & Veritati Catholicę Deiq; Verbo contrariam esse, luculenter hucusque ostenderunt in communione Pontificia asseclæ Jansenij, quos Jansenitas & Syranistas, & Illuminatos, ut nos Catharos & Calvinistas, Jesuitæ appellant.

6. Tertiò speravi hac ratione cordatiores & honestiores è Papatu molliùs ac meliùs de nostris, tum in Belgio tum in Gallia, judicaturos, ubi intelligerent, nos cum suis Jansenitis, quos maximi nec immeritò solent facere, in Doctrina hac de Gratia consentire: Imò ipsosmet Jansenitas ideo gavisuros: Nam esto, Simus illis Errantes vel Hæretici in aliis capitibus, ut illi nobis; Offenderit quoque eos durior illa quorundam è nostris sententia quæ supra lapsum ascendit in assignando Prædestinationis Objecto, quam videbant evidenter alienam à mente sui Augustini, & tot incommodis laborare, ut illius respectu non minus istum prætensum Calvinismum, qui tamen Calvini nunquam fuit, quam Jesuitarum Pelagianismum improbarent; Bonorum nihilominus est sibi gratulari de iis quos ante in errore demersos putabant, quod si non ex toto, se Judicibus, saltem ex tanto propiùs accedant ad Veritatem; istiusque Pauli non dememinisse Phil: III, 16. *In eo ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regulâ & idem sapiamus.*

7. Quartò id quoq; judicavi pertinere ad Reformatorum Apologiam magni momenti, si constaret hodie tot in Papatu Doctos

& Celeberrimos Viros, illa ipsa capita tueri, propter quæ persecutionum tempore, multi è nostris fuerunt per ministros Tyrannidis Pontificiæ, subjecti Inquisitioni & publicè ustulati. Quin & eadem ratione volui *Universalistis* nostris justum incutere pudorem, quod sanioris Theologiæ hypothesibus relictis, ea ipsa dogmata adoptarent *de Gratia & Redemptione Universali*, quæ in Jesuitis & Molinistis ex Paulo & Augustino, meritò Doctissimi Jansenitæ, non sine gravi odio & invidia, improbabant. Nam motus est excentricus in Reformatis Doctoribus, si tum propiùs accedant ad Jesuitas, infestissimos suos hostes, cum longiùs ab illis recedunt tot Eruditi viri in ipso Papatu.

8. Quod si tamen hoc pacto per accidens aliquid contuli ad accelerandam illam Jansenitarum condemnationem, quę ante trimestre prodiit, est quod mihi summoperè gratuler: Nam quò ea iniquior & turpior est, eò reverâ grandius & *multo luculentius vulnus* inflixit causæ Jesuiticæ & Papisticæ, quam ferè *hactenus ab ullo alio inflictum* fuerit, ut de vulnere per me Jansenitis inflicto nugabatur inficetus, & Rastris quam Rostris aptior, Duacenus Orator: Veritatem equidem damnari Romæ & Christum isthîc iterum crucifigi, novum non est: Sed eò væcordiæ processisse Innocentium in Jesuitarum gratiam, ut hîc voluerit agere Palæmonem, & Gratiam Christi de ponte dejicere, totq; egregios viros, inusto illis hæreseôs stigmate, ad suam Communionem deserendam adigere, illud demum est lethale vulnus, & cui cicatricem obducere non ita facile erit, Bestię Apocalypticæ inflixisse.

9. Ecquod enim jucundius spectaculum nobis Reformatis præbere potuisset, quam sæviendo in propria sua viscera, suum corpus cruentis manibus dilaniando, & dextram sinistrâ sibi amputando? Ludum putat esse Pontifex, Controversias tanti momenti, tribus lineis definire: Sed *anus dum ludit*, inquit Publius, *morti delicias facit.* Pulvisculi jactu vespas irritatas sedari, vulgò dicitur: Sed Papa hoc suo pulvere eos crabrones irritavit quos sedare non erit facile. Et sentiet, si mens læva non sit, hanc suam *Definitionem*, plures *Divisiones* cum tempore sequuturas. Id saltem nobis summè volupe est, quod per hoc Papale judicium, tot Eruditorum Communio-

munionis Romanæ conſcientias teſtes habeamus, tum fallibilitatis Pontificię in rebus fidei, tum deſertę palam ab Innocentio, Prædeceſſorum ſuorum & totius Antiquitatis Catholicæ doctrinæ, ut ſuo calculo comprobaret hæreſim Pelagianam, ac nova *heſternaque commenta* Ludovici Molinę, uti dicuntur Marianæ ejuſdem ordinis *cap. 4. de morbis Soc. ſua*, & quæ, ipſomet Molinâ fatente, *in praf. libr. de Conc. Gr. & Arb. à nemine quem viderit hucuſque tradita* fuerant: ut planè in Novatorem Veterator Papa nunc abierit. Tum demum hîc ſapuiſſet, ſi tacuiſſet.

10. Videntur equidem duo illi fuiſſe primaria Motiva ad hoc Judicium. Primum eſt *Favor* præpoſterus erga Jeſuitas ab una parte, & ab altera tacitum & inveteratum *Odium* eorum ex Epiſcopis qui ſuum locum utcunque tueri conantur. Sunt enim in communione Romana Epiſcopi trium ordinum: Alij ſunt famelici clientes Curiæ Romanę & Pontificię libidinis vilia mancipia; ut Itali pleriq; omnes. Alij ut Germani, authoritate & reditibus Principum conſpicui, majorem Regionis quam Religionis, Beneficij quam Officij, rationem habent. Tertij gaudentes ſufficienti temporali ad ſuam dignitatem tuendam, quandoque *ſpiritualia*, uti dicuntur, magis curant, ægrèq;ferunt Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Romanę in particulari, quos infra ultimum Epiſcoporum conſiſtere oporteret, ut etiam publico ſcripto luculenter olim Archiepiſcopus Rothomagenſis comprobavit, ſibi omnibus præferri ſuperbo *Cardinalium* titulo; & præſertim indignantur ſua jura quotidie imminui & lædi per Jeſuitas alioſque novos *Regulares*, Curiæ Rom. privilegiis ſpecialibus inſtructos. Tales ſunt in Gallia, Hiſpania, Belgio, doctiores & cordatiores Præſules, qui ſaltem ſuis Infulis contenti, ad Galeri Cardinalitij φαντασίαν aſpirare nolunt, & priſcam cum Epiſcopo Romano collateralitatem, relicto ei ſolo *Primatu Ordinis* per antiquos Canones illi conceſſo, reſtitutam optant.

11. Papa itaque in Jeſuitas eſt propenſior quod *immediatè* à Sacerrima ſua Sede pendeant, ei voverint obedientiam cœcam, ejuſq; infinitam Poteſtatem, quo jure quâ injuriâ, acerrimè propugnent; Epiſcopis verò melioribus & doctioribus infenſior, quod authoritatem quam putant ſibi à Chriſto collatam ſtudeant aſſerere; & dum

 ſe alio-

se aliorum Apostolorum successores statuunt, æquè ac Episcopus Romanus vult Petri & Pauli successor haberi, unicum cum B. Cypriano *de simpl. Prælat.* putant dari Episcopatum *cujus pars à singulis in solidum tenetur*, nec tantum interstitium inter Sedes suas & Romanam admittere volunt, quantum sibi imaginantur hujus Gnathones, qui in capite Pontificis fovent simul ambitionem Cæsaris & Pompei, ut nec parem, nec superiorem velit agnoscere; dixerit licet Hieronymus, *in epist. ad Euagr. Vbicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubij, sive Constantinopoli, sive Rhegij, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem est meriti, ejusdem & Sacerdotij. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit; Caterùm omnes Apostolorum successores sunt.*

12. Itaque ex aperto illo favore Papæ in Jesuitas, nec valde occulto livore in eos Episcopos, qui sui Coepiscopi utcunque haberi volunt, Gallos præsertim, qui unà cum causa *Gratiæ* tuiti sunt nuper *Petrum Aurelium*, ejusque Opera unanimi consensu & communibus sumptibus recudi curarunt, nec *libertates Ecclesiæ Gallicanæ* penitùs intercidere patiuntur, prodiit dubio procul hæc Jansenitarum novitia condemnatio. Etenim quamdiu inter Dominicanos tantum & Jesuitas quæstio *de Auxiliis* agitabatur, mansit indecisa Romæ, Lessiique ac Molinæ erroribus parcitum est: ne dicam Becanos, Marianas, Santarellos, Regibus ominosos Scriptores è Jesuitis, censuram Pontificiam semper evasisse: Sed ubi Episcopi plures accesserunt ad sententiam Jansenij, qui & ipse celebris Episcopus fuerat, tum cœpit Pontifex sua fulmina vibrare, & decretorium stylum arripere.

13. Aliud ei Motivum fuit ad hanc sententiam pronunciandam, quod non videretur posse opportuniorem nancisci occasionem ostentandę illius infallibilis Potestatis in definiendis fidei quæstionibus, quam hactenus ei denegavit Ecclesia Gallicana, quę soli Concilio Oecumenico id juris competere pertendit, nec potest concoquere quod Pontifex *solus faciat Concilium Generale*, & quæ sunt Ecclesiæ Universalis sibi uni vindicet. Etenim *Si auctoritas quæritur major*, inquit Hieronymus *ad Euagr. Orbis major est Vrbe.*

14. Putavit autem Innocentius se id opportuniùs tentaturum

hoc

hoc tempore & in hac Controversia, quod ab una parte Belgij Hispanici Præsules & Academiæ, à quibus hujus dissidij initium & occasio, videantur adhuc Sedis Romanę infallibilitatem admittere, ut patet ex illorum libello cui titulus *Planctus veritatis Augustinianæ in Belgio patientis*; ab altera Galli credantur facilè premendi authoritate Eminentissimi Cardinalis Mazarini, multifariàm obnoxij Curiæ Romanę, tum quà Cardinalis & Romanus, tum ob dissimulata in sui gratiam à Pontifice Cardinalis Radesiani vincula, & nuper factam reconciliationem Barbarinorum, Gallicarum quidem partium in regimine Politico, sed quoad causam *Gratiæ* penitùs addictorum factioni Jesuiticę, quę per Cardinalem Franciscum Barbarinum, non solum obtinuit ab Urbano VIII. premente vestigia Pij V. & Gregorij XIII. contra Bajum, primam *Augustini* Janseniani censuram, sed etiam Deputatis Belgis ad expostulandum de hujus Censuræ subreptione, sic occlusit omnem aditum in Curiam, ut nunquam audiri potuerint, quemadmodum liquet ex *Planctu* eodem.

15. Veruntamen neutrum horum Motivorum tanti debuisset esse Pontifici ut ad hanc definitivam Sententiam procederet, nisi justo Dei judicio, Spiritu vertiginis perculsus fuisset. Dum enim cœlum ipsum petit stultitiâ, & *Gratiæ* Divinę Giganteo conatu bellum indicit, & hæresim Pelagianam à tot ex suis Prædecessoribus olim damnatam reponit in arce, & doctrinam B. *Augustini*, quem semper Ecclesia Romana pro uno & primario ex quatuor suis Doctoribus suspexit, de ponte dejicit, nonne prætensam suam infallibilitatem, non solum nobis Protestantibus aliisque suę Communionis qui eam nunquam admiserunt, propinat deridendam, sed etiam suspectam & dubiam reddit iis qui illam dicis causâ hactenus videbantur admittere, & paullò magis comiter ejus colere Majestatem?

16. Valde enim insaniat qui putet tot Eruditos Viros ex Verbo Dei & Antiquitate Catholica persuasos in suis Conscientiis de hujus causæ Veritate & Bonitate, quam & pro concione inculcarunt, & scriptis publicis propugnarunt, & Plebibus suis respectivè inculcandam sanciverunt, hac Pontificis Gorgone objectâ illicò se in Angeronæ Templum recepturos, in ranas Seriphias abituros, & in Pontificio αὐτὸς ἔφα plusquam Pythagorico acquieturos. Arcus

si nimium

ſi nimium intendatur, frangitur. Perire pariter oportet Papæ poteſtatem, quę in eos ſolum venit exercenda, qui eam ultrò & ſponte, inſtar voluntariæ jurisdictionis, ſubire voluerint, dum ita vehementer & iniquè intenditur.

17. Politici id ſuggerunt conſilij Regibus & Principibus, ut ſubditis in factiones abeuntibus, neutri parti ſe applicent; Manere poterat in ſalvo apud ſuos authoritas Pontificia, ſi ut tamdiu factum à Papis in Controverſia *de Immaculata conceptione B. Virginis*, Innocentius nihil hîc definiviſſet, ſed vel utramque partem toleraſſet, vel utrique ſilentium indixiſſet. Quin ut ſimia nimium amplectendo ſuos catellos, eos enecat: Ita Papa nimis arctè fovendo Jeſuitas in his quæſtionibus eos objicit majori invidię: Plus audet quam licet, qui plus poteſt quam debet. Et quò videbuntur plus poſſe Romę, eò vehementiùs ſe illis opponent ubique Ordinarij & Epiſcopi; ac paſſim notabuntur tanquam *ingrati*, ut S. Proſper Aquitanicus loquebatur, & *Gratiæ* ac Crucis Chriſti inimici.

18. Non enim agitur hîc de aliquo miſero Monacho vel Doctore privato cogendo in ordinem, & ad ſilentium redigendo: Quamvis neq; id facilè ſuccederet *in Cauſa Dei*: ut licuit olim exemplo *Gotteſchalci*, qui in his ipſis capitibus gravia paſſus per Rabanum & Hincmarum, tandē Protectores reperiit, Eccleſiâ Lugdunenſi ejus cauſam ſuſcipiente, & Concilio Valentino III. confirmato etiam à Nicolao Pontifice Romano, ſecundum ipſum pronunciante; Ne quid dicam de *Martino Luthero* quem leniùs habitum fuiſſe, nec tam ſeverè damnatum à Leone X. optarunt poſtea, ſed fruſtrà, cum jam immedicabile vulnus Sedi Romanę intuliſſet, moderatiores ex Papatu.

19. Sed agitur de integra Facultate Theologica *Lovanienſi*, quę dignitate poſt Pariſienſem, in Pontificia communione ſecunda eſt, (& cui olim in Belgio quoad hæc capita ſuccinuit Duacena) quæ hactenus declaravit publicè ſemper ſe in ea fuiſſe, quę hodie damnatur, ſententia. Agitur de integro *Præmonſtratenſium* Ordine, qui totus & palam declaravit ſe eſſe partium Janſenij. Agitur de toto ordine *Dominicanorum* penes quos eſt in Hiſpania authoritas Inquiſitionis, quibuscum internecinum odium Jeſuitis à longo tempore interceſſit, & quos Molinæ novationibus primos ſe oppoſuiſſe, ac

deinceps

deinceps pro *Thoma* Theologia, tanquam pro aris & focis pugnaturos, est notissimum. Agitur de *Sorbonæ* parte meliori & doctiori, quam veluti repagulum Reges Christianissimi semper opposuerunt Pontificum conaminibus contra Regnum Galliæ & Libertates Ecclesię Gallicanę.

20. Agitur, non de uno Episcopo Iprensi, Jansenio jam mortuo, qui remordere non potest, & adversus quem iisdem technis Jesuitas πελαγιανίζοντας egisse hactenus, quibus Arriani B. Athanasium sunt persecuti, non ita pridem Belgę Jansenitę in suo *Planctu* lamentati sunt; sed de pluribus magnę Authoritatis & Eruditionis Episcopis in Belgio & Gallia, qui hanc notam hæreseôs sibi palam inuri non ita facilè patientur: Quales inter cæteros sunt in Belgio Hispanico *Gandavensis* Præsul & Archiepiscopus *Mechliniensis*: In Gallia verò præter multos alios, Episcopus *Ambianensis* & Archiepiscopus *Senonensis*, Galliarum & Germanię Primas, qui in suo *Augustino per seipsum docente Catholicos & vincente Pelagianos*, iteratâ editione recuso Lutetię cum Privilegio, à Regis Reginæ & Cleri Gallicani Typographo, hæc omnia dogmata quę obelo notat Pontifex, non solum comprobavit, sed etiam suę Diœceseôs Clero tenenda & inculcanda commisit.

21. An ergo tot tantosque Viros *Gratiæ* Divinę Vindices, præter infinitum numerum Doctorum aliorum qui approbarunt, commendarunt & susceperunt cum ingenti ardore librum & doctrinam Jansenij, ita putavit Innocentius suo fulmine Bruto territandos, ut ad ἐχεμυθίαν redacti, illicò in Pœnitentium ordinem se recipiant ob imaginariam hæresim hactenus admissam & defensam, & ex suo pectore excutiant quicquid hucusque illi inhæserat hujus Veritatis? Forte adhuc contremiscunt Itali ad fulmina Papę: Sed diu est quod Cisalpini ære lavantur, & nasum ad ista Rhinocerotis habent. Nec dubium quin larga sementis rixarum & dissensionum in Papatu, sit futura hæc Bulla novitia Innocentij verè bulla, & ad *Extravagantium* ordinem summo suo merito rejicienda.

22. Nam Jesuitę ab una parte, suorum Adversariorum, jam hæreseôs damnatorum & objectorum omnibus pœnis sancitis in hæreticos, ut sunt habiles ad succedendum, Beneficiis ac Temporali

edulò inhiabunt, & opes Præmonstratensium aliorumque Monachorum, qui Jansenianos se declararunt, conabuntur adhamare, ut pote quas Papa pertendet ob hæreseôs crimen ad fiscum suum rediisse. Imò cum jam anteà docuerint iidem Jesuitę sub nominibus *Nicolai Smithæi*, *Hermanni Leomelij & Danielis à Iesu*, ut patet ex *Theologia Morali Iesuit. §. de Episcopis*, facilè posse Galliam, Angliam & Hispaniam carere Episcopis, cùm omnia quę pertinent ad plebis institutionem & salutem Presbyteri Missionarij possint expedire, studebunt Sedes Episcopales, quas hactenus minus faventes sunt experti, hoc hæreseôs prætextu evertere, & mensas earum suis Beneficiis incorporare: insatiabilis eorum Avaritia in aliis sive Regularibus sive Sæcularibus exuendis, quotidie se exerit; quò faciunt lites quæ ipsis cum Benedictinis & Gaspare Scioppio non ita pridem intercesserunt.

23. Ab altera parte Jansenitę in communi de nullitate istius Iudicij protestabuntur, Quod inauditi & indefensi ex suorum adversariorum susurris & delationibus fuerint condemnati, prout jam antea in suo *Planctu* Belgæ de eo publicè questi sunt; Quod ad hoc judicium non alij quam Jesuiticę factionis & Kabbalę Theologi delecti & admissi fuerint; Quod ordo per Canones præscriptus non fuerit in eo observatus: Nec enim ad summum plus habere potestatis Pontificem in alios Episcopos, quam quemlibet Episcopum in Presbyteros diœceseôs suę; ergo Pontificis fuisse in causa spectante tot Episcopos & Archiepiscopos, ad Curiam Parium, ut vulgò loquuntur, rem deferre, & stare Canonibus priscis, quibus cavetur ut *sine Concilij examinatione Presbyter vel Diaconus non dejiciatur*; quanto minus hæreseôs damnetur Episcopus & Anathemate percutiatur? Quod ideo sancivit Concilium Hispalense II. cui interfuit B. Isidorus, quoniam *multi sint qui indiscussos potestate tyrannicâ damnant* (ut factum hîc à Pontifice) *& sicut nonnullos gratiâ favoris sublevant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant & ad levem opinionis auram condemnant quorum crimen non approbant. Causa 15. q,7. cap.1.*

24. Cui Canoni hic alter subjungitur tanti momenti visus Compilatori Gratiano ut bis repetatur in *Decreto*. *Si quid de quocunque Clerico ad aures tuas pervenerit, quod te justè possit offendere facilè non credas,*

nec ad

nec ad vindictam te res accendat incognita; Sed præsentibus Senioribus Ecclesiæ tuæ, diligenter est veritas perscrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, Canonica distinctio culpam feriat delinquentis. Adde ex *eadem q. 7. cap. 6.* hunc Canonem; *Episcopus nullus causam audiat absque præsentia suorum Clericorum, alioquin irrita erit Sententia Episcopi nisi Clericorum præsentiâ confirmetur.* Irrita ergo pariliter Innocentij sententia in Episcopos alios, quę Episcoporum cœterorum præsentiâ & calculo destituta fuit.

25. Adjicient Quod in eo judicio formando & præcipitandoPontifex authoritatem totius Ecclesię Romanę prostituerit suis Adversariis; Quod cum ex *Celloti* Jesuitę sententia *lib. 4. Hierarch. cap. 10.* ut refertur *in Theol. Mor. Iesuit. §. de Eccl. & Hierarch.* eatenus demum Papa sit infallibilis, dummodo *id quod determinat sit propositio vera, & verè revelata à Deo, Prophetis, Apostolis, & Scriptoribus Canonicis,* fultaque authoritate *Patrum, Conciliorum & Traditionis,* nequeat infallibilis haberi hæc *Constitutio*, cujus definitiones cum Dei Verbo, veteribus Conciliis, & sententia Patrum, nominatim B. Augustini ac genuinorum ipsius discipulorum, ex diametro pugnant; Quod iniquum sit premere in gratiam Jesuitarum censuram & proscriptionem quinquaginta propositionum hęreticarum damnatarum in unius *Molinæ* Jesuitæ libro *de Conc. lib. arb. & grat. donis*, authoritate Clementis VIII. & Pauli V. quùm post examen decennale in Congregatione *de Auxiliis*, Controversię istæ decisæ & compositæ fuerunt *ex S. Augustini sententia*, ut nos docet Ampliss. Præses D. *Gilbertus Mauguin in præf. tomi 1. Vindic. Prædest. & Gratiæ*; & luci exponere hoc præceps Judicium, uni Pelagianismo constabiliendo unicè destinatum.

26. Denique dicent Quod multò prudentiùs facturus fuisset Pontifex & meliùs suorum tranquillitati prospecturus, si vel has Controversias Scholis reliquisset, ut tot sunt alię graves quæstiones inter Scotistas & Thomistas, Nominales & Realistas, Dominicanos & Minoritas, agitari solitæ, in quibus cuique licet sentire & docere quod lubet; vel in illis decidendis institisset prudenti consilio Clementis VIII. qui correcturus utcunque prædecessorum suorum Pij V. & Gregorij XIII. calorem nimium quo fuerant abrepti

contra *Michaelem Bajum* Lovanienſem Theologum, unicum ſibi propoſuerat Auguſtinum ſequendum, in iiſdem quæſtionibus *de Auxiliis* retractandis & definiendis.

27. Nec ſanè pigebit verba illius Pontificis commemorare, prout referuntur, & à P. *Gibiœuf* in libro ſuo *de Libertate*, & ab Authore Anonymo *Apologiæ Gall. pro Ianſenio contra Habertum pag. 14. & 15.* & ab ipſo Archiepiſcopo Senonenſi D. *Octavio de Bellegarde*, *Auguſtini docentis pag. 4. & 5. edit. 2.* Ex illis enim conſtabit Clementem Papaliter quidem loquutum, ſed multo ſapientiùs quam Innocentem, ſicque magis innoteſcet illius Sedis concordia diſcors, & faciliùs inter diverſa horologia magnæ alicujus Urbis, quam inter Pontificias definitiones conventurum; Ut revera Romæ obtineant *annuæ & menſtruæ de Deo fides, fides,* inquam, potiùs *temporum quam Evangeliorum*, ut loquebatur B. Hilarius *lib. 2. ad Conſtantium.* Hæc autem ſunt verba Clementis.

28. *Quamvis nemini niſi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen inpræſentiarum rationes propter quas aſtringere ſtatui totam hanc Diſputationem ad normam Doctrinæ S. Auguſtini de gratia. Prima eſt quod ſi teſte B. Proſpero ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum ſpatio acies Eccleſiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos ut tandem Auguſtino duce vicerit, oportet etiam ut in cauſa ſimili eundem ducem agnoſcamus & ſequamur. Secunda eſt quod idem Sanctus nihil videatur prætermiſiſſe eorum quæ ad præſentes Controverſias pertinent: Quandoquidem ſi agitur de neceſſitate Gratiæ, eam deſcribit dicens eſſe neceſſe ut nos præveniat, comitetur & ſequatur; Si de vi, aſſerit vires efficaciſſimè præbere voluntati; Si de effectu, teſtatur facere de nolente volentem; Si de modo, aſſerit Deum id facere omnipotentiſſimâ facilitate; Denique ſic diſſolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantum benè cum illa gratia quam defendit cohærere, ſed etiam fieri liberius quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio eſt, quod cum multi Pontifices Prædeceſſores noſtri doctrinæ S. Auguſtini de Gratia tam acres fuerint aſſertores ac vindices, ut quaſi hæreditario jure eam in Eccleſia relinquere voluerint, æquum non eſt ut patiar illam hac quaſi hæreditate privari.*

29. His planè diſſonantia nunc loquitur & facit Innocentius, ne quis Babelem extra Romam quærat. Verùm ita debuit conſtare Pontifi-

Pontifices Romanos non servire veritati, sed eam sibi subjicere, & pro cujusque ex illis cerebro, Symbola & Capita doctrinæ publicæ mutari in dies, Augustaque illa nomina *Patrum* & *Antiquitatis*, à Pontificiæ Communionis hominibus nobis tanto cum apparatu objici solita, facillimè tamen apud eos vilescere. Quem *Augustinum* Clemens sibi in normam accuratissimam proponebat, Innocentius in Jansenio & cum illo hæreseôs damnat & Anathemate ferit.

30. Speciatim autem habebunt hîc quod dicant & agant respectivè in grande derimentum Pontificiæ Authoritatis, illi Galliæ & Belgij Præsules ac Doctores, quos ferit hæc definitio. In Gallia non solum illi *Episcopi*, quos Innocentius dicit *apud* se instituisse ut has *Propositiones* expenderet, & suum de illis promeret judicium, habebuntur ab aliis pro ordinis sui desertoribus & libertatum Ecclesiæ Gallicanæ proditoribus, quod hanc causam per saltum Romam detulerint, suis Metropolitanis, Primatibus & Archiepiscopis præteritis, contra priscorum Canonum constitutionem & veterem praxim, juxta quam hæ quæstiones fuissent in Conciliis Provincialibus & Nationalibus priùs ventilandæ; sed reliqui eò sunt processuri quò solent Galli, contra *attentata*, uti loquuntur, Pontificis & Curiæ Romanæ: Nam vel appellabunt *à veluti abusu* de hoc judicio Papali, & facilè ostendent in Curia Parlamenti sive apud Magistratus Regios, non servatum fuisse in illo ordinem Canonibus præscriptum, adeoque per Brachium sæculare obtinebunt, ne hæc *Constitutiò* recipiatur in Gallia; vel nixi veteri & constanti Axiomate Ecclesiæ Gallicanæ *de fallibilitate Papæ*, hoc illius judicium ceu erroneum & hæreticum rejicient, & si per illud urgeantur, ab eo ad Concilium Universale, ut Gallis in more est, appellabunt; Quod si Papa insistat per Monitoria, Citationes, Excommunicationes, illi refragabuntur, & antiquę libertatis prædecessorum suorum memores, dicent cum illis, *Si Papa nos excommunicaverit, nos eum vicissim excommunicabimus.* Ita vilescet magis Authoritas Pontificia, & cordatiores mandabunt Romæ ac Papæ ut res suas sibi habeat.

31. Nec est quod Innocentius speret se Eminentissimi Cardinalis Mazarini favore & Regis Christianissimi authoritate effecturum,

ut tot egregij tantæque dignitatis viri, qui hactenus Janſeniana caſtra ſequuti ſunt, vel pœnis hæreticorum ſubjaceant, vel ad palinodiam adigantur. Cum enim Vir ille Eminentiſſ. Papabilis non ſit, ut pote Coronę Francię Primarius Miniſter eique ſummoperè addictus, & diligenter ac prudentiſſimè caveat ne quid detrimenti Reſp. Gallicana patiatur, nunquam conſentiet in gratiam Papæ ut infringantur libertates Eccleſię Gallicanę, quibus Regis & Regni ſecuritas innectitur. Ac revera utriuſque plurimum intereſt foveri, & adverſus Pontificiam tyrannidem immunem præſtari, illam Cleri Gallicani ſaniorem partem, quę hac *Conſtitutione* petitur, tribus potiſſimum de cauſis.

32. Primùm ne videatur nunc admitti & agnoſci id juris ac poteſtatis in Pontifice quoad dogmatum fidei deciſionem, quod hactenus & Curię, & Comitia Regni, & Schola Sorbonę, & Eccleſię Gallicanę propugnatores, illi conſtanter denegarunt, uni Concilio Oecumenico hoc judicium infallibile reſervantes. Non conſiſtunt magna exempla ubi cœperunt: Et ſi admittatur hæc authoritas in Pontifice Romano, circa has *quinque propoſitiones*, poſtea facilè definiet tanquam *de fide*, omnes Reges ac Principes Chriſtianos, in ſpiritualibus & temporalibus, ſubjici Papę, adeo ut eos excommunicare, deponere, ſpoliare, eorumque ſubditos à fidelitatis jurajuramento abſolvere poſſit: quod dogma à Jeſuitis pari vehementiâ cum ſuo Pelagianiſmo aſſertum, Galli nunquam voluerunt donare Civitate, ſed conſtanter ceu impium & peregrinum rejecerunt ac damnarunt; Et cùm Gallia nunquam conſenſerit in ipſius Concilij Tridentini promulgationem, multò difficiliorem proculdubio ſe præbebit, in admittendo hoc Innocentij judicio, in quo tantum ſuę cauſę & libertati præjudicatur.

33. Secundò ut in condemnatis & notatis à Pontifice, & ab ipſo jure merito abalienatis, remaneat aliquod corpus quod ſit terrori Curię Romanę, ut pote facilè conſenſurum in Patriarchæ electionem, ſi res ea, ut tam ſæpè factum in Gallia, nec ita pridem ſub Cardinalis Richelij Miniſterio, unquam iterum in deliberationem venerit; Hac enim machinâ multo plura ſemper poterunt extorqueri Pontificibus, quam ſi abſoluta eorum Poteſtas & Infallibilitas omninò admitteretur & firmaretur.

34. Tertiò ut in iſtis ſaniora ſentientibus & in plurimis nobiscum conſentientibus, remaneat penes Catholico-Romanos Regni quædam diſpoſitio proximior ad eam partium in Religione diſſidentium reconciliationem, quam & optarunt plurimi, & Cardinalis Richelius dum viveret non uno modo tentavit, etiam adhibito ad id inter alios multos P. *Audeberto* Jeſuitici ordinis. Nec veroſimile eſt id conſilium omninò depoſiturum Eminentiſſ. Mazarinum, ſiquidem ſolet Cardinalis Richelij in ſuo regimine premere veſtigia, & fundamentis ab illo poſitis inædificare.

35. Quantum ad Belgas Præſules & Doctores, viderentur quidem primâ fronte vel ideo admiſſuri hoc in ſua capita Judicium, quod hactenus rejectam à Gallis infallibilitatem Papę, admittant ipſi, & juſto liberaliùs ſemper ſe paratos oſtenderint in hujus jurare verba Magiſtri. Sed tamen fallitur Roma, ſi putat eos tam facilè capi poſſe. Nam primò tergiverſabuntur, & renovatâ priſtinâ ſuâ querelâ de vi & injuria, contra jura omnia & planè ſubreptitiè hîc actum clamitabunt; Se damnatos inauditos, oppreſſam factione veritatem, eoſdem ſibi & accuſatores & judices contigiſſe; Eodem rem recidiſſe Orthodoxæ veritati Innocentij reſpectu, quo olim reſpectu Zoſimi Pontificis, qui artibus Pelagij ipſius Cœleſtiique deceptus ac circumventus, in eorum favorem pronunciavit; ipſos *Catholicos* judicavit, & Pelagij *accuſatores, ac præcipuè Herotem atque Lazarum, Epiſcopos Galliæ, calumniatores & multorum criminum reos (ſicut illos iidem impij hæretici mendaciter depinxerant)* declaravit, ut habet Baronius *ad ann. 417. §. Epi. Spond. 3.* Premi quidem ad tempus veritatem, ſed non penitùs opprimi; Sperare ſe idem poſtea eventurum Innocentio quod Zoſimo, qui tandem reſipuit, admiſſâ ſententiâ Auguſtini & Synodorum Africanarum, & damnatis dogmatis Pelagij & Cœleſtij; ut narrat idem Baronius *anno ſequenti*; Infallibilitatem ſe quidem credere Papę, ſed iis in judiciis, in quibus maturè, ſine præjudicio, & cum ſufficienti cauſæ cognitione proceſſerit; quod cum hîc factum non fuerit, non poſſe id judicium haberi tanquam *ex Cathedra*; Appellare itaque ſe à Papa malè informato, ad Papam meliùs informandum, & tantiſper rem in ſuſpenſo relinquendam.

36. Si obfirmatus in sua tyrannide perrexerit, & *vivæ vocis Oraculo*, ut amant loqui, declaraverit se ita *ex Cathedra* pronunciasse, velitq; valere omninò hanc suam *Constitutionem*, ut moris est filio perditionis dicere, *Sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas*; quod proculdubio urgebunt Jesuitæ, tam ut hoc gaudium magis solidè gaudeant, quam ne Papæ authoritas contemni videatur, & apud nos, hæreticos scilicet, exponi ludibrio; tum Eruditi Belgæ pergent ulteriùs, ac protestabuntur se quidem in libello *fidei* qui extat in suo *Planctu*, professos fuisse *infallibilitatem Sedis Apostolicæ in rebus fidei decernendis*, eamque nominatim ac *specialiter* suspexisse, *in materia Prædestinationis, de gratia & libero arbitrio*, sed tamen unà declarasse se Doctrinæ *defæcatissimæ* S. Augustini in iisdem materiis, quam *secundum summorum Pontificum decreta*, nominatim Johannis II. *Romana servat & sequitur Ecclesia, conformiter ad fundamenta quæ Salvator noster in Euangelio aperuit & doctrinam quam SS. Apostoli Petrus & Paulus tradiderunt*, mordicùs inhærere; Quare cum inter sacrum & saxum sint constituti, ut longè difficiliùs sibi sit conciliare Infallibilitatem Papę cum doctrinę S. Augustini condemnatione, quam ex Molinę placitis gratiam cum libero arbitrio, malle se infallibilitatem Papæ abnegare & Romæ mandare ut res suas sibi habeat, donec saltem cum Dei Verbo & Augustino in gratiam redierit, quam contra suas conscientias quas Deo debent, in Pelagianam ac Pontificiam hæresim, & decreta Orthodoxam veritatem opprimentia, consentire.

37. Aut si adhuc velint utcunque suæ hypothesi servire, & in speciem Pontificiam Infallibilitatem tueri, huc saltem recurrent, ut non tam *infallibilitatem* Papę, quam Innocentij *Papalitatem* vocent in dubium. Cùm enim secundum omnes Scholasticos, ipsosq; Jesuitas, hæc propositio non sit de fide, *Innocentius X. hodie sedens, est verus Papa, & legitimus Petri Successor*, quia potuit non esse *Papabilis*, ut vulgò Romæ loquuntur; qua de re agit Puteanus *in 2. 2. Thomæ q.1. art.6. dubit. ultimâ*; jure poterunt Innocentio, quod ipsi longè gravius foret, & alia secum traheret incommoda Papatui, Controversiam *de statu* movere, ac pertendere aut ipsum non esse legitimum Papam, aut de eo saltem dubitari posse, adeoque nullo jure se teneri pro fidei conclusionibus admittere ejus hominis decisiones quem

Papam

Papam esse legitimum, credere nec possunt nec tenentur; Nec forte ex Conclavi in quo Innocentiûs fuit electus deessent idonea argumenta huic Exceptioni statuminandæ.

38. Neque video quid aliud queant Belgæ Præsules & Doctores facere, si pro honestis & bonis viris suæque Conscientiæ studiosis, & qui Gloriam hominum Glorię Divinę non præferant, velint haberi, Quùm nunc Papa tot stigmata inusserit illi libro sui Jansenij, de quo in suo altero libello *Iustitia* dicto, protestati fuerant, eum *nihil aliud* continere *quam ex omni parte sibi consonantem S. Augustini doctrinam, S. Matri suę*, idest Ecclesiæ, *in dotem relictam*, seque paratos (*ne temerè dictum existimetur*) id *in judicio contentioso* demonstrare; Quùm Jansenij opinionibus, quæ & suæ sunt, *Hæreseôs* & *Blasphemiæ* dicam scripserit; Quùm non curarit, uti petierant, *has propositiones doctrinales*, à suis Adversariis enotatas & designatas, *convocatis Episcopis & primariis Academiarum Professoribus judicialiter* examinari, *& factâ accuratâ & fideli cum S. Augustini scriptis collatione*, dispici *an revera ejusdem Augustini non sint*; sed affectibus Adversariorum suorum velificatus, abjectâ Verbi Divini & B. Augustini reverentiâ, in damnandis his quinque Propositionibus, ceu ad Jansenij opiniones pertinentibus aut natis ex illis, Jansenium, Augustinum, Dei Verbum, Veterum Paparum fidem, pessimâ fide ex una eâdemque fidelia denigrarit.

39. Quâ enim conscientiâ admittant pro Christi Vicario infallibili, Petri Successore, Capite & Sponso Ecclesiæ, *etiam secluso Christo*, ut amat loqui Bellarminus, hominem hæreticum, & eousque factioni Jesuiticę & Pelagianę addictum, ut Catholicas & Orthodoxas Propositiones ex Dei Verbo & Augustino desumptas, feriat anathemate, & omnes *Gratiæ* Christi propugnatores cordatos Tartaro devoveat? Nec enim agitur nunc *de facto*, ut olim in Bulla Urbani VIII. quo respectu citra infallibilitatis Pontificiæ læsionem Academia Lovaniensis in suo *libello supplici* oblato Serenissimo Archiduci Leopoldo circa initium anni 1648. poterat ejus admissionem deprecari; sed de *jure* & fide, quo respectu Papam errare non posse hactenus perperam isti boni viri crediderunt.

40. Saltem vident nunc Lovanienses Theologi, vident Belgicę

Hispanicæ Episcopi, videt universus eorum Clerus, quid præmij referant suæ demissionis tam devotę ad pedes Antichristi; quid ipsis profuerit *tantus dicta Academia Zelus*, ut in illo suo *libello supplici* loquebantur, *etiam inde à prima sua erectione, tam prompta erga Sedem Apostolicam obedientia; tanta illius sedis ac Romana Doctrina adversus vicinos & domesticos penè hæreticos* (ut vulgò nuncupantur) *defensio & propugnatio, ut eo nomine ab ipsa S. Sede, non elogia tantum publica, sed & amplissima privilegia & liberalitatem promeruerit*; quos fructus metant ex illo vehementi zelo quo flagrarunt, in præjudicium suorum concivium, erga Ecclesiam Rom. ut etiam aliquam vim faciendo suis Conscientiis parati fuerint Bullam Pij v. & Gregorij XIII. saltem sub beneficio Inventarij & benignioris interpretationis, hactenus suscipere, modò interim fas sibi esset veritatem cognitam retinere & sentire cum Augustino. Siquidem omnia cum liceant Romæ, solum ibi non licet Virtutem & Veritatem tutò sectari.

41. Vident quo sint in pretio apud Papas & Jesuitas, Patres & Doctrina Veterum, quibus in exilium probrosé missis, ut novitia nuperaque Molinistarum dogmata vigeant, illud publicè dicitur, *Veteres migrate Coloni.* Videt universum Belgium quibus gradibus & artibus progrediatur illa Sedes pestilentiæ in opprimenda Veritate. Nam eodem modo adversus Protestantes & Reformatos actum est, quibus inauditis & indefensis, hæreseôs crimen liberaliter impactum fuit, ex plenitudine potestatis Pontificiæ & per meras factiones, non ex authoritate vel Scripturæ vel Antiquitatis Catholicæ, quomodo nunc actum in hac causa, in qua *Hæreseôs* & *Blasphemiæ* & *Impietatis* prolixè damnantur Jansenius, Janseniani, Lovanienses Doctores, Præsules Belgij, ipse B. Augustinus.

42. Quâ ergò fronte audebunt porro isti zelotę Papismi nobis dicam scribere hæreseôs, qui tam conceptis verbis hæreticorum Catalogo per novam Innocentij Canonizationem, inscripti sunt? Aut cur magis Leydensis vel Groningana Academia hęreseôs accusabitur in Belgio, quam Lovaniensis, quę hæretica declaratur & feritur Anathemate ab illo ipso suo Væjove Tarpeio, cujus infallibilitatem tam prolixè agnoscere & tueri studuerat? Quo deinceps alio loco quam *Antichristi* & Tyranni Ecclesiæ, possunt in suis conscientiis habere

Innocen-

Innocentium Belgæ Præsules & Doctores, quem vident tam apertè θεομαχεῖν, ac veritatem & gratiam Christi pedibus conculcare?

43. Ita discant oportet, ab ipsomet Papa edocti, non ex *personis probandam fidem, sed ex fide personas*, ut dicit Tertullianus *de præscript.* nec habere *authoritatem Petri qui Petri fidem non habent*, quemadmodum docet Ambrosius *lib. 1. de Pœnit. cap. 1.* Ita malent in posterum, sic ominor, Christiani esse quam Pontificij, & resecti à communione Pontificia, ex veritatis quam sectantur odio, seipsos in veram asserent libertatem, & Papâ, Papismo, ac Jesuitis cum suo Pelagianismo ingrato valere jussis, non minùs in Papatus abdicatione, quam in Gratię Christi defensione nobiscum sentient. Nec in eo Schismatis poterunt accusari: cùm erroneę ac hæreticę P.R. doctrinę consentire per conscientias suas nequeant, & is Schismatis sit reus, qui Orthodoxos, ut hîc Papa, pronunciat hæreticos, & sic eos à sua Communione resecat, & illis per vim, falsam & hæreticam doctrinam studet obtrudere.

44. Id nempe debet consequi Innocentius, tam gravi abusu suæ Authoritatis apud eos qui illam comiter colebant ex avita superstitione, ut illâ sensim excidat, donec tandem intra fines solius Italię, aut forte etiam solius Romanię & patrimonij S. Petri, ut vulgò dicitur, Ecclesię *suburbicaria*, quarum mentio in *6. Can.* Concilij Nicæni, juxta Ruffinum, contineantur: adeo ut nequiverint Jesuitæ, vel rem jucundiorem nobis procurare, vel periculosius infligere vulnus Sedi Romanę, quam Innocentium ad hanc sententiam ferendam & istam *Constitutionem* sanciendam impellendo.

45. Fortè hac spe se lactant Jesuitæ, facilè compesci posse Præsules & Doctores Belgij authoritate publicâ Regis Hispaniæ, ut nihil aliud ipsis restet quam navigare in Morboniam, & hanc injuriam mussare, silenter acquiescendo Papali definitioni, eumque Senem aulicum imitando, qui profitebatur se in Aula hac arte perennasse, quod potuerit multas ferre contumelias, & inferentibus gratias agere. Sed primò non est verosimile tot egregios viros hîc tacituros, & præpostero silentio cum canibus Capitolij veritatis arcem ejus hostibus prodituros. Memores erunt sui officij suarumq; conscientiarum: Nec patientur, imò non patietur Gratia Dei pro qua steterunt hactenus, ut de Arca fœderis triumphent Philistæi,

 aut

aut Dei veritas detineatur captiva in vinculis iniquitatis. *Credidi & propterea loquutus ſum* Pſal: cxvi, 10.

46. Secundò nec tuti forent ab Inquiſitione hæreticæ pravitatis, etſi manderent ſuas linguas & digitos ſibi amputarent animo nihil unquam dicendi vel ſcribendi in defenſionem bonæ cauſæ, & talentum ſibi concreditum puſillanimiter defodiendi. Si enim poſt primam Bullam Urbani viri. ſuppreſſiuam æqualiter & Janſeniani operis & Theſium Jeſuiticarum in illud, vôluerat nuncius Apoſtolicus Abbas S. Anaſtaſiæ, ut omnes ſub juramento ſolemni ſe obligarent ad eam *Bullam* acceptandam *in qua prohibetur liber CORNELII IANSENII cui titulus AVGVSTINVS*, quanto probabilius eſt exactum iri Jeſuitarum arte Juramentum in nuperam Innocentij *Conſtitutionem*, ut ad has Zelotypię aquas Janſeniano-hæretici detegantur, quò poſſint ſua illis Beneficia auferri, & in Sedes vacuas eorum ejectione, boni Moliniſtæ & Pelagiani intrudi. Ut enim boni Viri jurent in hanc *Conſtitutionem*, ſuis conſcientiis reclamantibus; & cum non neſciant ſatius eſſe obedire Deo quam hominibus, eumque abnegandum à Chriſto coram Angelis, qui illum abnegaverit coram hominibus, expectandum non eſt. *Nihil poſſumus contra veritatem ſed pro veritate*, inquit Paulus 2 Cor:xiii,8.

47. Tertiò non eſt veroſimile Regem Catholicum in hac cauſa Præſules & Doctores ſui Belgij deſerturum in gratiam Pontificis: *Piſcator ictus ſapit*, ut eſt in Adagio: Et cum exciderit omni illo jure quod olim habuerat in Belgium Fœderatum, dum voluit vim inferre Conſcientiis, & Papæ Poteſtatem ac dogmata tueri, non facilè ad talia conſilia in reſidua ſua Belgica redibit; ne dum peregrinam & Italam Authoritatem Papæ tueretur, ſuam ipſius novo periculo objiceret per populorum motus, qui ægrè patientur Gratiæ Divinæ Doctores & Præcones ſibi eripi: Imò putabit potiùs è re ſua fore & ad *Catholicum* ſuum axioma pertinere Academiam Lovanienſem tueri, quam habuit hactenus pro Catholicæ Veritatis columine: eoque inſtius conſentiet ut Præſules & Doctores ſui Belgij, ſepoſitâ authoritate Pontificis, quâ uti debuiſſet ad ædificationem non ad deſtructionem, remaneant ſuo loco & ordine, poſthabito hoc Judicio, donec ſaltem ipſe Papa crapulam Jeſuiticam ebiberit, & ad

ſanio-

ſaniorem mentem reverſus Palinodiam cecinerit. Quidni enim aliquod INTERIM in Belgio, Rex prudentiſſimus conſtitueret hoc caſu, ei haud diſſimile quod in Germania olim valere juſſit *Carolus V.* Cæſar, ſuus Abavus?

48. Cùm enim prohibuerit, ut conſtat *ex Planctu* ſæpiùs citato, ne juraretur in formulam ab Apoſtolico Nuncio præſcriptam pro Bulla Urbani VIII. multo minus pateretur vigere inter ſuos hanc nuperam *Conſtitutionem* Innocentij X. ac notam publicam inuri hæreſeos ſuis Præſulibus & Doctoribus, ac toti Scholæ Lovanienſi, eamque illi publico exponi opprobrio ſub oculis Fœderati Belgij & Eccleſiarum Reformatarum quæ florent & vigent in illo. Quin eò minus videtur Rex Hiſpaniæ curaturus Pontificis decreta, quo magis videt eum in partes Galliç per Barbarinos ipſi reconciliatos propendere: Et quam aliàs parum curet Sedem Rom. patet liquidò ex diuturna incarceratione Cardinalis cujuſdam Eccleſiæ Rom. quem captivum Neapoli nondum potuit Papa vinculis ſuis exſoluere; patet quoq; ex eo quod nuper Vice-rex Neapolitanus, voluit in carcerem conjicere Nuncium Pontificium, qui fugâ ſibi conſuluit, & quod eidem Viceregi ex Hiſpania mandatum, ut Pontifice admittente Legatum Luſitanum, excurſionibus hoſtilibus agros Pontificios populetur.

49. Quid ſi Rex ipſe in ſuo Belgio, occaſione hujus diſſenſionis, non minus quam in Siculo Regno ſe caput Eccleſiæ conſtituat, & hanc captet occaſionem ampliandæ ſuæ authoritatis ex ruinis Papatus, quod Papa hac nuperâ *Conſtitutione* cogat Præſules & Doctores Belgij ſuæ Poteſtati & Communioni renunciare? Habent Regum Conſilia multos occultos receſſus, & Reges magni ſemper tendunt *Plus ultra*, ſuæque Poteſtatis & Majeſtatis ampliandç occaſionibus prudenter invigilant. Adeo nihil utilitatis redit ad Pontificem ex iſto judicio, & multa habet ideo metuenda.

50. Verum eſto; ut ſolent Reges & Principes terræ vires & authoritatem ſuam tradere Beſtiæ ad pugnandum contra Sanctos Apoc: XVII, 12. 13. 14. obtineat Papa vi ſuç *Conſtitutionis* ut in Gallia & Belgio ſæviatur adverſus eos qui Janſenij & Auguſtini doctrinæ hactenus adhæſerunt, nec illis liceat tutò & in pace ſuarum Conſcientiarum libertatem retinere, & Pontificiæ Tyrannidi refragari;

nihil aliud inde eveniet quam quod boni & eruditi Viri ſuis locis moti, ſuoque temporali privati vel mox privandi, ſe ad nos recipiant, & plures unà ex ſuis auditoribus & fautoribus adducant, & ſecuritatem nacti inter Proteſtantes & Reformatos, ferventiùs, cordatiùs & tutiùs bonam cauſam defendant, & proſcriptionibus Papalibus ſolidas ætatemque laturas ſcriptiones, ubique diſſeminandas opponant. Ea ſanè eſt utriuſque Belgij vicinia & mutua neceſſitudo, ut Janſenitæ non minus poſſint ex Fœderato Belgio, in quo Hoſpitium humanum eſſent proculdubiò conſequuturi, Romam, Jeſuitas ac Moliniſmum impugnare, quam ex Flandria aut Brabantia; Et tum demum illud Themiſtoclis poſſent jure merito uſurpare, *Perieramus, niſi periiſſemus.*

PARS

PARS SECUNDA;

In qua sigillatim Ordo, Stylus, Forma & Partes, nuperæ Constitutionis Pontificiæ expenduntur.

1. HActenus proposuimus nostras Considerationes generaliores ad *Constitutionem* Pontificiam: nunc ipsa venit cominùs examinanda; quod ubi præstitum fuerit, ipsius Veritatis breves vindicias in quinque propositionibus damnatis suo loco subjiciemus. *Ipsam* itaque *Bestiam*, ut phrasi Hieronymianâ utar, *sua verba resonantem* audiamus. Ejus ἐπιγραφὴ talis est;

S.MI IN CHRISTO PATRIS, ac
D. N. D.
INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ X. CONSTITUTIO,
Quâ declarantur & definiuntur quinq; Propositiones in materia fidei.
ROMÆ,
Ex Typographia Rever. Cameræ Apostol. 1653.

2. Titulus iste *SANCTISSIMI* est oppidò superbus, & quem solus Antichristus queat sibi tribuere; Ipsemet enim Deus nonnisi *Sanctus* dicitur in Scripturis, nec sub alio nomine à Seraphinis & Angelis adoratur: Sed hic filius perditionis, cui non satis est *supremum in terris Numen* haberi, ut olim Thomas Stapletonus Lovanio compellabat Gregorium XIII. & cui illud dicatur ut quondam Sixto IV.

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris crederis esse Deus;

ipso Deo major censeri vult & in superlativo gradu *Sanctissimus* appellari; Verùm ut ille Rex Ethnicus, cùm à nonnullis per adulationem *Deus* salutaretur, ajebat eum qui matulam suam purgabat quotidie satis nosse quod homo esset; ita se hominem esse, à quo

 nihil

nihil humani ſit alienum, intelligeret Innocentius, ſi reflecteret ad *ſellam* illam *Stercorariam* Pontificibus ſpecialem, cujus meminit Platina *in Iohan. 7.* Eique meritò dixerit quilibet de hoc titulo, quod habet Gregorius I. & ipſe Papa, *Epiſt. 34. lib. 4. Veſtra Sanctitas agnoſcat, quantum apud ſe tumeat, qui illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præſumpſit qui veraciter ſanctus fuit.*

3. Æquè inſanit dum Sanctiſſimus *in Chriſto* PATER vult appellari, cùm nemo ſit Chriſtianorum hodie quem Chriſto genuerit Euangelij præconio & adminiſtratione Sacramentorum; Hæc enim ſunt infra ſupercilium ſuę Sanctitatis, nec ſolet Prætor Romanus minima curare: ut nec curat vel quod dixit Chriſtus Matt: XXIII, 9. *Patrem veſtrum ne quenquam vocate in terra: Vnus eſt enim Pater veſter qui in cœlis eſt*; vel quod ſcripſit Gregorius I. qui *Sanctus* & *Magnus* vulgò nuncupatur; *eadem illâ epiſtolâ* quam modò citavi. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus enim eſt Pater veſter. Quid ergo, frater Chariſſime, in illo terribili examine venientis judicis dicturus es, qui non ſolum Pater, ſed etiam generalis Pater in mundo vocari appetis?*

4. Idem ſtatuendum de *DOMINI NOSTRI* nomenclatura hîc appoſitâ. Satis fuit Apoſtolis eſſe Miniſtris Chriſti & Diſpenſatoribus myſteriorum Dei 1 Cor: III, 5. IV, 1. cùm unicum Dominum agnoſcerent Jeſum Chriſtum 1 Cor: VIII, 9. & nollent Chriſtianorum fidei dominari 2 Cor: I, 24. Is verò demum audet *Dominus* Eccleſiæ dici, qui vult κατακυριεύειν τῶν κλήρων contra mandatum Petri 1 Pet: V, 3. & Chriſti Luc: XXII, 25. 26. & dememinit ejus quod Eugenio IV. inculcabat olim Bernardus *lib. 2. Conſid. ad Eugen. cap. 6. Planum eſt Apoſtolis interdicitur dominatus; I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum; Plane ab alterutro probiberis. Si utrumque ſimiliter habere voles, perdes utrumque.*

5. Jure autem ſummo debuit potiùs dici Innocentius *Divinâ Providentiâ* Papa, quam Dei gratiâ; cùm Gratiam Dei in Chriſto tam ſuperciliosé impugnet. Nec aliter *Divinâ Providentiâ* ſedet, quam olim regnavit Nero, aut Mahumetes Orientem univerſum miſit ſub jugum. Hîc agnoſcenda eſt Divina Providentia, non ea quidem quæ eſt κατ' εὐδοκίαν, ſed ea quæ eſt κατὰ συγχώρησιν, juxta diſtinctionem Damaſceni *lib. 2. Orth. fidei cap. 29.* Illa enim in bonis

tantum constituendis & efficiendis, hæc vero in malis permittendis, dispensandis, & præter eorum naturam, ad finem bonum ordinandis, sita est.

6. Debuisset verò hæc *Constitutio* dici non tantum *quâ declarantur & definiuntur quinq; propositiones in materia fidei*, sed etiã quâ hæreseôs damnantur præter B. Augustinum Hipponensem, *Augustinus* Cornelij Jansenij Iprensis quondam Episcopi, & quotquot vel suo calculo hunc librum comprobarunt, vel eandem cum ipso doctrinam tuiti sunt. Approbarunt autem hunc librũ, adeoq; judice Papâ hæreses & blasphemias, Archiepiscopus Philippensium, qui se vicarium profitetur Papę in Fœderato Belgio; Sex doctores Facultatis Parisiensis; quatuordecim Facultatum Lovaniensis, Coloniensis & Duacenæ; aliquot Abbates celebres; quidam Decani Ecclesiarum Cathedralium; Pastores varij & Doctissimi ex Clero Belgij; Superior Patrum Oratorij in Flandria nomine Theologorum suę congregationis; Professores Seniores ex ordine Benedictinorum, Præmonstratensium, Augustinianorum, Franciscanorum, Capucinorum, Carmelitarum, Carthusianorum; quibus addi possent approbatores libri Francisci Contij Archiepiscopi Hibernensis, & tot Episcopi passim qui hanc Jansenianam doctrinam utroque pollice laudarunt & publicè per Eloquentissimos Concionatores ad populum proponi voluerunt; ut pro eo quod dixit Mantuanus de Urbe Roma, *I pudor in villas, Vrbs est jam tota lupanar*, meritò dici possit hodie de Communione Romana, eam, vel Papâ judice, hæreticis plenam esse, ut sani ab infectis, Galaaditæ ab Ephraimitis, absque *Schibboleth* Jesuitico dignosci nequeant.

7. Id verò summopere mirum, hîc proponi nobis definitiones & decisiones *in materia fidei*, in quibus tamen nullus profertur Scripturæ locus, nulla Verbi Divini authoritas, quâ muniantur; dixerit licet Paulus Rom: x, 17. fidem esse ex auditu, auditum autem Verbi Divini; & Petrus ipse apud Clementem Alexandrinum dicatur hoc frequenter usus Apophthegmate, οὐδὲν ἄτερ γραφῆς. Ut vel ideo minoris sint faciendæ; *Quod enim de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur quâ probatur*, inquit Hieronymus *ad 23. Matt.* Et Augustinus *lib. 3. contra literas Petil. cap. 6. Sive de Christo, sive*

de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam Nos, necquicquam comparandi ei qui dixit, licet si nos, sed omninò quod secutus adjecit, Si Angelus de cœlo nobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.

8. Verum ab inscriptione pixidis, ad unguentum quod continet transeamus; Ita autem incipit.

INNOCENTIUS PAPA Servus Servorum Dei, *Universis Christi fidelibus, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Quantum ad *Papæ* titulum, ex Hieronymo, Sidonio Apollinari, & aliis *passim* liquet, eum communem fuisse omnibus Episcopis. Imò Filesacus Sorbonista *de Sacra Episc. author. cap. 10. §. 5.* multis docet quod *circa tempora B. Gregorij P. R. Episcopi adhuc salutabantur titulis Papæ & summi Pontificis, ac nuncupabantur PAPÆ, APOSTOLICI PATRES, APOSTOLICA SEDE dignissimi.* Verum ex quo Pontifex Romanus aliorum Episcoporum jura & Authoritatem cœpit pedibus suis insolenter conculcare, etiam omnes honoris titulos quos habebant cum ipso communes, sibi uni rapuit; Et ut loquitur de Donato Optatus Milevitanus *lib. 3. adv. Parmen. dum Episcopus inter Coepiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat quod extulit cor suum & Deus sibi fuisse videbatur.*

9. Quod aliud nomen *Servi Servorum* spectat, ut fatemur non sine Numine eum assumptum à filio perditionis, cui Canaan jam olim præluserat, ex maledictione Noæ futurus *servus servorum fratribus suis* Gen: IX, 25. ita nequimus concipere rationem illum conciliandi, cum eo fastuoso Dominatu quem exercet Papa in omnia & omnes. Assumpsit illud nomen primus omnium Gregorius I. illud oppositurus humilitatis studio titulo Episcopi Oecumenici sive Universalis, quem sibi arrogabat Patriarcha Constantinopolitanus; Sed ex quo Bonifacius III. à Phoca, Mauritij parricida, consecutus est hoc Nomen *blasphemiæ*, uti dicitur Gregorio *lib. 4. Epist. 32.* potuerunt Pontifices Romani τὰ ἀσυγκλωςα ζυγκλώθειν: Et jure hîc dixerint Innocentio Jansenitæ omnes, quod olim Nicolao I. Præsul Coloniensis & Treverensis apud Aventinum *lib. 4. Tu Pontificis quidem personam*

præ te fers, at tyrannidem agitas: Sub habitu & cultu Pastoris lupum sentimus; Titulus parentem mentitur, tute factis Iovem ostentas: Cùm sis Servus Servorum, Dominus Dominorum esse contendis. Iuxta disciplinam Christi Servatoris nostri, infimus es omnium Ministrorum Templi Dei; Tu vero libidine dominandi in Principem abis. Quicquid tibi libet licet: Fucus factus es Christianis.

10. Nec capio quî vel *Vniversis Christi fidelibus*, suas decisiones inscribat Pontifex, cui nihil juris in ipsos; vel *Salutem* iis precetur, evertendo Gratiam Christi Salutarem, & cui omnis nostra Salus debet inniti; aut *Benedictionem Apostolicam*, cùm nec ipse quicquam habeat magis Apostolicum, quam olim vel Manes vel Mahumetes, qui etiam se Christi & Dei Apostolos respectivè vocitarunt; nec Benedictiones in hac sua *Constitutione* pronunciet, sed dira & maledicta, quibus sui terrorem Gratiæ Divinæ patronis & sanioris sententiæ sectatoribus tyrannicè studet incutere; *Annuit & nutu totum treme fecit Olympum.* Viri tamen cordati tam parum erunt solliciti de ipsius Benedictione consequenda, quam illius Maledictiones & Excommunicationes fortiter contemnent ceu Bruta fulmina, de quibus ita loquitur Erasmus *in Adagiis; Hodie fulmina bruta metaphoricè accipiuntur, & ad interdicta Pontificia referuntur, quæ contra jus fasque esse censentur, ideoque contemnenda. Bruta autem fulmina olim dicebantur quæ nihil portendere videbantur, quasi inania & nulla ratione naturæ venientia, inquit Plinius.*

11. Præmissâ autem hac salutatione Pontificiâ, Innocentius, *Celsior ipse loco sceptroque innixus eburno, Talibus inde modis ora indignantia soluit.*

Cùm occasione Impressionis libri, cui Titulus Augustinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis deductis Propositionibus: Complures Galliarum Episcopi apud Nos in-

stiterunt ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perspicuam ferremus sententiam.

At qui certum & sanum sensum ex istis verbis possit exsculpere, erit mihi magnus Apollo. Quid enim absurdius quam queri potius de *impressione libri* istius, quam de ejus scriptione? Quid iniquius quam Gallias commemorare super *occasione* libri, qui in Belgio & scriptus & editus est? Quid stolidius quam post illam clausulam, *inter alias ejus opiniones*, meminisse *Controversiæ super quinque ex illis deductis propositionibus?* Vel enim hæ quinque Propositiones, pertinent ad *ejus opiniones*, & sic non debent statui simpliciter *deductæ* ex illis; vel si tantum *ex illis* deductæ sunt, non potest hæc Controversia de his quinque propositionibus dici, absque sensu & contra sensum communem, nata *inter alias ejus opiniones*. Nam propositiones deductæ ex alicujus opinionibus, non debent statim revocari ad illius opiniones, vel illis accenseri. Potest enim ex alicujus opinione evidens deduci absurdum, quod ipse ex imbecillitate mentis non animadverterit, quodque revera improbet & detestetur. Neque *Controversia* hæc *orta* est *inter alias opiniones* Jansenij, sed de his ipsis propositionibus & propter illas.

12. Quid quod nescias an illud relativum, *EIUS*, ad librum *cui titulus est Augustinus Cornelij Iansenij*, an ad libri Authorem spectet: Æquitas quidem videretur exigere ut ad librum referretur, quo Authoris memoriæ & honori parceretur, dum liber prohibetur & damnatur. Sed ratio Grammatices postulat ut potiùs Authorem respiciat; cùm *opiniones* non tam sint librorum quam Authorum à quibus scripti sunt. Videtur autem ex professo hic Apollo Loxias ita loquutus, ut nescias ad quam *Classem*, primam-ne an secundam, *Librorum prohibitorum*, quorum *Index* solet excudi ad calcem Concilij Tridentini, *Augustinus Iansenij* sit referendus. Si pronomen *EIUS* de Authore intelligatur, ad primam pertinebit, de qua ita habet *Præfatio* illius *Indicis*. *In prima non tam libri quam librorum Scriptores continentur qui aut hæretici aut notâ hæresis suspecti fuerunt.* Si ad librum restringatur, debebit pertinere tantum ad secundam; in quam, ut habet

habet eadem *Præfatio, non authores sed libri sunt relati, qui propter doctrinam quam continent non sanam aut suspectam, aut quæ offensionem, etiam in moribus tantum, fidelibus adferre potest, rejiciuntur, etiamsi authores à quibus prodiêre nunquam ab Ecclesia desciverunt.*

13. Interea tamen dum Augustino Jansenij movebitur in Curia Romana Controversia de statu, eveniet ut harum Classium neutram subeat, sed è contrario in Arce, cum ipso met Augustino, ex quo desumptus est, reponatur; aut saltem ideo majori pretio sit futurus apud omnes, quod Romæ displicuerit, cùm nihil isthîc displiceat nisi quod verum & bonum est. Et quamvis ita loquutus ambiguè videatur Innocentius, ne crederetur vel Jansenium, vel ejus librum, hæreseôs insimulare, sed tantum *Propositiones* quasdam ex illo perperam *in Galliis* deductas, revera tamen hæc omnis faba in Jansenium ejusque librum cuditur. Nam sic *præsertim* Galliarum meminit, ut non excludat, sed potiùs includat Belgium, in quo hæc Controversia cœpit agitari. Et cum non dicat Propositiones illas vitiosé deduci ex Jansenio, cujus aliàs innocentiam Innocentius protegere debuisset, non possunt Conclusiones proscribi quin unà damnentur Principia ex quibus legitimè deducuntur, falsumque esse oportet ex quo falsum benè & ordine legitimo colligitur.

14. Ideo, licet non satis Grammaticè, hæ propositiones quinq; ad *alias* Jansenij *opiniones* referuntur, & post illas damnatas sub finem, negat Innocentius se per illarum condemnationem *approbare ullatenus ALIAS Opiniones quæ continentur in prædicto libro.* Fraudis itaque & artis est Romanæ quod ita ambiguè & timide loquitur ab initio *Constitutio* Papalis, quasi non tam *opiniones* Jansenij, quam *propositiones* quinque *ex illis*, fortè vitiosè, deductas, insimulet hæreseôs, quò Belgis potissimum occasionem aliquam suggerat assentiendi suæ Bullæ, & equum istum Trojanum admittendi. *Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.* Sed hæ fraudes vitreæ sunt, ut Ethnicorum virtutes, & dum pellucent franguntur: Nemo enim prudens Jansenium & Jansenitas extra hanc censuram quæsiverit.

15. Quin debuisset Innocentius adjicere huic suę bellulę Pręfationi hunc librum Cornelij Jansenij ideo *Augustinum* appellari, quod puram putam B. Augustini *de Gratia* Doctrinam accuratè & methodicè complecta-

complectatur, nihilque contineat quod cum magni illius Doctoris mente & ſcriptis non exactè concordet, uti Belgæ in ſuo *Planctu* ſe id judicialiter demonſtrare paratos profeſſi ſunt. Imò unà debuiſſet addere hunc eundem *Auguſtinum* Janſenij eum eſſe librum quem tot Epiſcopi ſuſceperunt, quem tot Docti Doctores & Monachi in Papatu ſuis Elogiis ornarunt, & Approbationibus muniverunt, ac Subſcriptionibus receperunt; quò faciliùs toti Europę conſtaret Catholicam B. Auguſtini & tot Catholicorum in ſinu Eccleſiæ Romanæ hodie viventium doctrinam, Romæ condemnari, ut Pelagianiſmus & Moliniſmus publicè de Gratia Chriſti triumphet. Et quidni ex Orthodoxa ſententia hæreſim faciat Pontifex, qui ex non peccato peccatum, ex non Canonico libro, Canonicum & viceverſa, juxta Canoniſtas facere poteſt?

16. Aſtutiæ verò eſt Pontificiæ, quod *Galliarum* præſertim meminit Innocentius, quaſi ibi magis ſua Authoritas & Infallibilitas ſuſpiciatur, ubi magis nutat & contemnitur. Et μετὰ πολλῆς φαντασίας, *complures Galliarum* Epiſcopos apud ſe inſtitiſſe pro hac deciſione obtinenda fabulatur; cùm revera, ſi qui *Galliarum Epiſcopi* hoc fecerunt, illi comparatè ad alios longè melioris commatis, oppido pauci fuerint, Fratrum ſuorum accuſatores, vilia Jeſuiticæ libidinis mancipia, qui ex Jeſuitarum Pædagogia & Pæderaſtia recens egreſſi, & ſolâ ignaviâ atque ignorantiâ celebres, hanc ſuis Pædagogis & Socratibus rependerunt gratiam, ut Epiſcopatus dignitatem & Canonum Authoritatem pedibus conculcarent, Eccleſiæ Gallicanæ Libertates & Jura proderent, receptioribus & ſanioribus in Patria ſua Axiomatis renunciarent, & hæreſeôs Pelagianæ procuratores ſe Romę conſtituerent, (ne Maſſilienſium & Gallorum πελαγιανιζόντων ſtirps penitùs extincta videretur) cùm eam domi per ſeipſos nequirent defendere. Ita debuerunt iſti degeneres Galli illud infringere B. Hieronymi *adverſus Vigilant. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit*: Imò proh dolor, nobis ſuppeditare materiam querendi cum eodem *ibid.* quod in horum unoquoque *Gallia vernaculum hoſtem ſuſtineant; & hominem motum capitis atque Hippocratis uniculis alligandum, ſedentem cernant in Eccleſia.*

17. Neque prætereundum quod dicat quidem Innocentius hos

nothos Gallos & Gallici nominis opprobria apud se instituisse, pro harum propositionum decisione, sed tamen insinuet eas sibi *oblatas* aliunde fuisse: quò magis constet, hos Pseud-Episcopos & Jesuitas, cum Pontificiis Ministris hanc rem omnem *ex compacto* agere, *quasi in velabro olearios*, ut Plautus loquitur. Nec dubium quin Jesuitæ has propositiones ex Jansenio collegerint & Papę definiendas obtulerint: Cùm enim se impares sentirent honesto congressui cum Jansenitis, in quo *res cum re*, *causa cum causa*, *ratio cum ratione concertaret*, ut loquitur Augustinus *lib. 3. cont. Maxim. cap. 14.* nihil antiquius habuerunt, quam ad suam sacram anchoram, idest Pontificiam authoritatem, confugere, & ab ea Sede & Urbe Pelagianismo suo patrocinium quærere, quæ Petrarchę jam olim dicta fuit,

Fontana di dolore, Albergo d'ira,
Schuola d'errori è Tiempio d'heresia.
Gia Roma, hor Babylonia falsa è ria.
Per cui tanto si piagne è si sospira.
Offucina d'inganni è pregion dira,
Ove' l ben muore e' l mal si nutre è cria.

Idest *Fons dolorum, hospitium iræ; Schola errorum & templum hæreseôs: olim Roma, nunc Babylon mendax & nequam; cujus causa tantum ploratur & suspiratur; Officina fraudium & carcer dirus, ubi bonum moritur, malum alitur & creatur.*

18. Nequis autem putet suam Sanctitatem temerè & re non expensâ hîc judicasse, ante omnia recenset has Propositiones sibi *oblatas*, hoc præfixo lemmate, aliis characteribus:

Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur.

In his propositionibus colligendis solitâ suâ versutiâ sunt usi Jesuitæ. Nec enim id ausi sunt Jansenio aut Jansenianis vertere vitio, quod Prædestinationem æternam ad salutem asserant factam ex mero Dei beneplacito, non ex intuitu aut prævisione fidei vel operum; quod Gratię sufficientis universalitatem rejiciant; quod Gratię efficaciam ex libero arbitrio suspendi nolint; quod statuant Deum non alios velle servare quam Electos qui de facto servantur; quod homines in statu naturæ lapsæ, ante Gratiæ medicinalis communi-

cationem, faciant ineptos ad omne bonum, proclives ad omne malum; quod Pelagianam *ἀναμαρτησίαν* & *ἀπάθειαν*, rejectam ab Hieronymo *ad Ctesiphontem*, & ipsi rejiciant: Sed prout impij *in circuitu* ambulant, maluerunt per cuniculos agere, easque propositiones damnandas seligere, quæ primo obtutu magis odiosæ viderentur, ut super earum ruinis faciliùs suum Pelagianismum extruerent.

19. Est enim ea Veritatum in his Controversiis connexio ut, unâ luxatâ cœteras corruere necesse sit: Si enim, verbi gratiâ, interiori gratiæ in statu naturę lapsæ aliquando resistitur, nec illa fluet ex certa & immutabili Prædestinatione Dei, & agnoscenda erit distributio Jesuitica Gratiæ in *sufficientem* & *efficacem* quam rejiciunt Jansenitæ. Nec erit arbitrium *servum peccati*, in statu naturę lapsæ ut ipsi docent cum Augustino, si in eo statu ad demerendum libertas ab omni necessitate, non tantum à coactione requiratur. Excidet quoque sua efficacitate Gratia Christi, quam propugnant ex Scripturis, si Deo per illam volenti convertere queat humanum resistere arbitrium; Nec potest redemptionis per Christum universalitas adstrui, quin propugnetur vniversalitas Gratiæ sufficientis, ejus efficacia ex arbitrio humano suspendatur, & subruatur absoluta & immutabilis Prædestinatio & Reprobatio hominum, in massa peccati jacentium.

20. Operæ autem pretium facturus sum, si singulas hasce Propositiones, ut à Pontifice recensentur, non Jansenianas modò, sed Augustinianas esse, paucis demonstravero, quò magis constet, non solum Jansenium & Jansenitas, ne se hîc extra quærant, sed ipsummet quoque B. Augustinum, ejusque omnes genuinos Discipulos, Hæreseôs & Blasphemiæ ab Innocentio reos peragi; Ejus ergo *Constitutionem* κατὰ πόδα sequamur.

Prima: Aliqua Dei Præcepta Hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia quâ possibilia fiant.

Hanc propositionem esse Jansenij patet ex *lib.3. de grat. Serv. cap.13.* cujus hoc est lemma, *Proponuntur duo argumenta pro asserenda gratia sufficiente:*

ſufficiente: Differitur fuſè de poſſibilitate & impoſſibilitate præceptorum Dei; Eſſe quandam voluntatis infirmitatem, quâ non poteſt certas tentationes ſuperare, nec adeſt gratia quâ ſuperentur, nec ſpiritus orationis quo vires impetrentur. Ibi autem hæc conſectaria ex Auguſtino deducuntur: *Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta ſecundum ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia. Secundum, non adeſſe ſemper gratiam, quâ illa eadem præcepta implere ſufficiamus. Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolum in excæcatis & obduratis & infidelibus, de quibus nunquam vel Auguſtinus, vel Eccleſia, ſed ſolum Scholaſtici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, ſed etiam fideles & juſti, qui & fidem Chriſti & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt. Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.*

21. Et ut mittam quæ eò ſpectant hypotheſes plurimas Janſenitarum, quibus ſtatuunt Concupiſcentiam remanentem in fidelibus poſt baptiſmum ac Legi Dei adverſantem non poſſe *totaliter deſtrui in hac vita*, in Catechiſmo Gratiæ *Erot. 17.* & Concupiſcentiæ illius motus, etiam indeliberatos & qui rationem antevertunt, eſſe vitioſos & peccaminoſos, ut docet Janſenius *lib. 2. de ſt. pura nat. cap. 14.* Catecheſis Janſeniana *Erot. 38.* ſic loquitur; *Habent-ne ſemper juſti Auxilia neceſſaria, ad ſuperandas omnes tentationes?* R. Non: *Nam Deus ad ſanctos humiliandos non ſemper illis dat, vel illuminatam cognitionem, vel delectationem victricem; quò agnoſcant lucem quâ illuminantur & ſuavitatem per quam agunt, à ſeipſis non eſſe, ſed à Deo; Quapropter eorum differt ſanationem, adeo ut bonum ſufficienter non ipſos alliciat ad juſtitiam omnimodè complendam, ſive id bonum ipſis opertum, ſive apertum fuerit: ne facilitatem in omnibus reperientes, ſibi tribuant quod ſoli Deo tribui debet. Hac autem ratione non vult eos perdere, ſed per humilitatem ſervare.*

22. Loca varia Auguſtini, quibus hæc Janſenij & Janſenitarum *Propoſitio* aſſeritur, poſſunt ex Janſenio repeti, qui in illis condenſandis & inculcandis totus eſt: Sufficiat pro meo inſtituto nonnulla breviter enotaſſe, quæ maximè ad rem faciunt. Auguſtinus ergo *lib. 2. de peccat. merit. & rem. cap. 17.* ita loquitur; *Ideo quiſq; noſtrûm bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe, vel quod ſcit vel quod delectatur, &c.* Et *cap. 19. Idcirco etiam ſanctos*

& fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minus quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficis delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens.

23. Præsertim verò Augustinus duo commemorat Præcepta, quæ à nemine quantumlibet sancto in hac vita impleri possunt, quorum primum est de Deo ex toto corde diligendo, alterum de non concupiscendo: De utroque conjunctim ita loquitur *lib. de Sp. & litera cap. ult. Ad illam vitam jam immortalem pertinet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua; Ad hanc autem, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Ad illam, Non concupisces; Ad istam, Post concupiscentias tuas non eas.*

24. De primo nominatim ita habet *lib. de Perf. Iust. contra Cœlest. resp. 16. In qua plenitudine Charitatis* (videlicet in cœlo) *præceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frænetur, non omninò ex tota anima diligitur Deus: Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omninò peccato, quia nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur?*

25. De secundo idem docet *epist. 200. ad Asellicum. Hoc Lex posuit dicendo, Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus:* Et distinctiùs *lib. 1. de Nuptiis & Concupis. cap. 29. Multum boni facit qui facit quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas; sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, Non concupiscas. Ad hoc ergo dicit Lex, Non concupisces, ut nos in hoc morbo jacere invenientes, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò possit à nobis in illa immortalitate perveniri. Nisi enim quandoque perficiendum esset, nunquam jubendum esset.*

26. Quod

26. Quod autem nugatur Becanus *Manu. lib. 1. cap. 17. quæst. 1. & 2.* Augustinum docere tantum de duobus istis Præceptis quod non possint à quoquam observari in hac vita, *quoad verba* quibus proponuntur, non verò *quoad sensum & obligationem* quam inducunt, indignum est refutatione; cùm de sensu & obligatione Præcepti, non aliunde quam ex illius verbis possit constare; adeoque velle ipsis alium affingere sensum quam ipsa præ se ferunt, est *Sophisticè legem interpretari & cavillari*, ut loquitur Imperator *l. 12. §. 3. C. de Ædif. privat.* Officij nostri mensura, non ex viribus nostris per peccatum collapsis, necdum plenè in hac vita restitutis, est æstimanda, sed ex Dei legibus & mandatis, ex quibus intelligimus non tam quid possimus in hoc imperfectionis statu, quam quid teneamur præstare, & quid sumus consequuturi perfectionis in cœlo.

17. Sed pergamus ulterius.

Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Et hæc est quoque assertio Janseniana. Nam Jansenius *lib. 2. de gratia Serv. cap. 24.* docet quod Gratia Christi *simulac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemq; domat voluntatem, tollit omnem resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determinantem ineffabili suavitate facit*; hinc monet illam Gratiam *victricem* ab Aug. appellari & cui homo *non possit resistere*: Et *cap. 25.* sumit probandũ, quod *prorsus effectu non careat, sed eum in omnibus quibus datur infallibiliter operetur.* Sic in Catechismo Gratiæ *Erot. 13. & 14.* docetur quod *semper producat effectum, quem Deus per illam vult producere*, & quod *cum victrix sit, tandem nostram resistentiam superet.* Eò quoque pertinet *caput 6. Augustini docentis* Archiepiscopi Senonensis, quod inscribitur *de gratia Christi semper efficaci.*

28. Hanc doctrinam ex Augustino depromi, est notius quam ut multis debeat demonstrari: Notum enim illum passim distinguere inter Adjutorium naturæ integræ, quod appellat *sine quo non*, & meræ *possibilitatis* fuit; & Adjutorium medicinale Christi in natura lapsa, quod dicit adjutorium *quo & voluntatis*. *Prima gratia est quâ fit ut habeat homo justitiam si velit; secunda plus potest, quâ etiam fit ut velit; de Corr. & grat. cap. 11.* & *cap. 12. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ,*

nempe

nempe per auxilium *quo*, ut *divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*. Et *cap. 14.* sic loquitur; *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et *lib. 1. ad Simpl. q. 2.* *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur si homo nolit.* Et *lib. 1. contra duas epist. Pelagij, cap. 19.* *Trahitur miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines quod fieri non potest nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

29. Sequitur porrò;

Tertia: Ad merendum & de merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Hæc tertia propositio necessario nexu cohæret cum præcedenti. Nam positâ Gratiæ irresistibilitate, quâ ex nolentibus fiamus volentes, ita libera à coactione agnosci debet nostra conversio, ut tamen non sit libera ab omni necessitate. Jansenius multis in locis probat amissam per peccatum boni faciendi & à malo abstinendi libertatem, peccandique necessitatem invectam, adeo ut arbitrio humano *ante fidem non sit liberum à peccato dum hîc & nunc agere meditatur, abstinere, sed quocunque se verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur*, ut expressè loquitur *lib. 3. de statu nat. lap. cap. 14.* quod toto eo *libro*, & *4. seq.* fusè demonstrat. Et *lib. 6. de Grat. Christi Servat. cap. 6.* hoc habet lemma; *Duplex necessitas Augustino, coactionis & simplex seu voluntaria; illa non hac repugnat libertati*; quod deinceps fusè & operosè demonstrat.

30. Eadem habet passim Augustinus. Nam sæpè tribuit arbitrio humano servitutem peccati: Nominatim *Enchirid. cap. 30.* *A quo quis devictus est huic & servus addictus est: Petri certè Apostoli est ista sententia, quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui domini sui voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est: Vnde ad justè*

facien-

faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus: Et *lib.1. Retract. cap.9. Voluntas ipsa nisi Dei gratiâ liberetur à servitute quâ facta est serva peccati, & ut vitia superet adjuvetur, rectè pièque vivi à mortalibus non potest.* Bellarminus equidem *lib.4. de grat. & lib. arbit. cap.6.* id sumit sibi probandum, *Non posse ab insigni temeritate defendi modum loquendi* Protestantium, *qui nomen liberi arbitrij in nomen servi arbitrij mutarunt*; sed ideo vapulat Jansenio *lib.3. de st. nat. lap. cap.5.*

31. Sed præsertim pro conciliatione alicujus necessitatis cum libertate arbitrij, ita loquitur Augustinus *Enchirid. cap. 105. Sic oportebat prius hominem fieri ut & benè velle posset & malè; postea vero sic erit ut malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium quod omninò non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati esse sic volumus ut esse miseri non solum nolimus sed nequaquam prorsus velle possimus; Sicut ergo nunc etiam anima nostra habet nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est*: quod insuper probat exemplo Dei *lib.22. de Civit. Dei cap. ult. Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Et ejusdem operis *lib.5. cap.10.* cujus lemma, *An voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas*, inter alia sic loquitur; *Si illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis.*

32. Quantum ad voces *merendi* & *demerendi* sive malè merendi, quæ in hac extant Propositione, aliàs observavi, nempe ad *Erot.54. Catech. Gratiæ*, parum admodum Jansenitas meritis propriè dictis tribuere, quod evidenter liquet ex Jansenio ipso *de Grat. primi hom. cap.16.* Itaque nec frequens apud Jansenium occurret usus istius verbi *merendi*, ubi necessitatem aliquam studet conciliare cum libertate requisita ad benè vel malè agendum, nec sequitur necessariò homines benè agendo mereri apud Deum, eo quod demereantur, idest pœnam mereantur ex Iustitia & Lege Dei, malè agendo. Nam quod homines malè agunt, simpliciter suum est, & habet malitiam adæquatam pœnæ quam merentur; sed quod benè agunt Gratiæ Divinæ est, & cum sui respectu multis adhuc nævis laboret, longè subsidit infra præmium gratuitum & indebitum quod consequuntur

Rom:VIII,

Rom:VIII,18. Hinc dicit Augustinus, *Dona sua coronat Deus, non merita tua*; *de grat. & lib.arb. cap.6.* Sed non est locus ut his in præsentiarum insistamus.

33. Pergendum itaque in illis Propositionibus expendendis, quæ Pontificiam censuram subierunt.

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici quod vellent eam Gratiam talem esse cui posset Humana voluntas resistere vel obtemperare.

Hæc propositio desumpta videtur ex *Parallelo* Jansenij, quod extat ad *Augustini* sui calcem, inter Errores Massiliensium & Molinistica dogmata Jesuitarum, quo docet hos non tantum paria facere cum Semipelagianis, sed eos in nonnullis, quoad *ingrati* animi vitium multum superare; Nam illius *Paralleli cap.2. Nota 42. & seqq.* nec non *de Hæresi Pelag. lib.8. cap.6. & seqq.* multis docet eam fuisse Semipelagianorum mentem quæ hîc illis tribuitur, exceptâ clausulâ illâ (*etiam ad initium fidei,*) nempe quod etiam *Gratiam actualem internam* admitterent, sed quæ *quantum ad operandi modum* esset tantum *adjutorium sine quo non*, conferens homini *posse si velit, non ut velit*, & *quam liberum arbitrium efficacem vel inefficacem seu cassam reddere* possit.

34. In eo autem Semipelagianos hæreticos fuisse oportuit ex mente Augustini, quod gratiam quam verbotenus propugnabant, subjicerent voluntati humanæ, cum in Augustini schola is sit character hæreseôs Pelagianæ *de hæres. ad QuodvultDeum*, *cap.88.* quod Gratiam Dei *libero arbitrio non præponeret, sed infideli calliditate supponeret*; Et supponunt merito Janseniani id in his materiis *hæreticum* esse dicendum, quod constanter legimus vel rejectum ab Augustino contra Pelagium, vel in Pelagij reliquiis ex Augustini mente, à Prospero, Fulgentio & aliis genuinis ejus Discipulis, improbatum & censoriâ virgulâ notatum. Quid autem senserit Augustinus de Gratiæ Dei irresisti-

irresistibilitate & efficacia, (ad quam demum, ut & ad ipsius doctrinam de Prædestinatione, impegisse Massilienses, ex epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, satis liquet) ex iis quæ suprà *ad propositionem 2.* enotavimus, in comperto est.

35. Interea tamen non video, quâ fide huic Propositioni ceu Jansenianę, sive ex Jansenij libro deductæ, illa particula, *etiam ad initium fidei*, inserta sit: Nam Jansenius è contrariò disertè docet tum *lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 11. & 12.* tum *Parall. cap. 2. nota* 54. Semipelagianos *sibi* tribuisse *initium fidei*; quò facit illud Cassiani statuentis homini *semina virtutum naturaliter inserta*, *Collat. 13.* quod Jansenius cribrat *de hær. Pel. lib. 8. cap. 13.* Inde moveor, ut assentiar eidem Jansenio asserenti librum *de Ecclesiast. dogmatibus*, qualis nunc extat & solet circumferri in *tomo 3. operum Augustini*, non esse omni ex parte genuinum opus Gennadij Massiliensis, sed ei inserta per modum correctorij vel alexipharmaci, à quodam Catholico, capita XXXI. à vigesimo primo ad quinqugesimum secundum; nam *cap. 42.* non *solum augmentum*, sed *etiam initium fidei*, *gratiæ donum* asserit; quod & amplius explicatur *cap. 43. & seqq.* Et præterea quod Semipelagianis hac in parte quoad *initium fidei*, non modò æquales, sed multo deteriores Jesuitas ostendit Jansenius *notâ 55. & seqq.* nescio cui bono in Propositione hæreseôs damnanda ob resistibilitatem gratię negatam, illud *de initio fidei* quod in controversiam, saltem quoad Semipelagianos, non veniebat, inspersum fuerit.

36. Superest Propositionum Jansenianarum ultima, quæ sic effertur;

Quinta: Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Jansenius *Paralleli cap. 1. nota 14.* monet in eo Molinistas cum Semipelagianis paria facere, quod impugnent Prædestinationem gratuitam, ut traditur ab Augustino ex Scripturis, hoc argumento, quoniam inde sequatur *Christum non pro omnibus esse mortuum nec omnium Redemptorem esse.* Et *lib. 3. de grat. Chr. Serv. cap. 20.* ex professo rejicit illam universalitatem mortis Christi pro omnibus & singulis, ac nominatim

ita loquitur; *Nec enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit; cùm hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum.* Videatur quoque Catechismus Gratię *Erot.65.* & quæ extant in Apologia *Gall. pro Iansenio contra Habertum, ad Conc.3. art.17. & seqq.* & *caput 9. Augustini docentis* Archiepiscopi Senonensis, cujus lemma, *Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus.*

37. In eo autem loquuntur Iansenitæ cum Augustino: Nam ita ipse habet *ad articulos sibi falsò impos. art.1. Quod ad magnitudinem & potentiam precij & quod ad unam pertinet causā generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi: Sed qui hoc sæculum sine fide Christi & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt:* unde colligit, quod *non omnes captivitate sunt eruti,* & quod *redemptionis proprietas haud dubium penes illos sit de quibus Princeps hujus mundi missus est foras, & jam non vasa sunt diaboli sed membra sunt Christi: Cujus mors non impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant pertinerent.* Hinc negat *Ench. cap. 103.* universaliter intelligendum de omnibus & singulis hominibus illud Apostoli, *Qui vult omnes homines salvos fieri,* sed perinde ac si diceretur vel *nullum hominem fieri salvum nisi quem salvum fieri ipse voluerit,* vel *omne hominum genus* velle salvum, *ut omnes homines omne genus hominum intelligamus per quascunq; differentias distributum;* ita ut homines omnes sumantur non de singulis generum, sed de generibus singulorum; ut cum dicitur omne animal fuisse in Arca Noe, vel dicuntur Pharisæi in Euangelio, quod notat *ibid.* Augustinus, *omne olus* decimasse, idest *omne olerum genus; Neque enim Pharisæi quæcunque aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant.*

38. Hinc quoque Augustinus nomen *mundi* pro quo Christus dicitur mortuus, ad Ecclesiam restringit *tract. 87. in Ioh. & tract 5. in 1 Ioh.* Sed imprimis verba sunt expressa *lib. contra Donatist. post Collat. cap. 8. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, qui utique non sibi reconciliat nisi Ecclesiam: Neq; enim reconciliari Deo & salvari per ipsum mundus potest, nisi mundi nomine intelligatur Ecclesia, quæ sola per eum Deo reconciliata servatur.* Hinc illud habet *de adult. conjug. cap.15. Omnis*

qui

qui Christi sanguine redemptus est, homo est: sed non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est. Hinc denique docet *Epist. 102.* quæ est ad Evodium, quod *non perit unus ex illis pro quibus* Christus *mortuus est.* Quis enim inde non colligat ex mente Augustini, vel neminem mortalium periturum unquam, quod nemo sanæ mentis dixerit, vel Christum non mortuum esse pro omnibus omninò hominibus, ex quibus tot pereant quotidie, cùm tamen nemo pereat ex illis *pro quibus mortuus est?*

39. Ubi autem has quinq; Propositiones Jansenio-Augustinianas ordine recensuit Innocentius in sua *Constitutione*, se accingit cum grandiloquio ad earum condemnationem & censuram, sequentibus verbis;

Nos quibus inter mnltiplices curas quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa inprimis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex Alto commissa, purgatis pravarum Opinionum erroribus, tuto militare & tanquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare & ad optatum Salutis portum pervenire possit.

Sanè quamvis Innocentius sit λατεινος B. Irenæi, qui in illa voce nomen & numerum Bestię reperiit *lib. 5. adversus hær.* videtur tamen suæ Latinitatis oblitus: Nam in sesqui pedalibus his verbis, nequidem mica salis vel sensus potest reperiri.

40. Quid enim sunt *errores pravarum opinionum*, à quibus hæ debent repurgari, quasi pravis opinionibus insuper acciderent errores à quibus sunt repurgandæ, aut aliquid esset discriminis suspendum inter errores & opiniones pravas? Digna certè Pontifice ter Maximo sollicitudo, ut *pravæ opiniones* à suis *erroribus* repurgatæ nitidiori cultu per forum Romanum deinceps ambulent. Quî item censeri potest *Ecclesia Dei purgatis pravarum opinionum erroribus tutò militare*, cùm Ecclesia erroribus omnibus repurgata, non militet am-

 plius

plius, sed ovet atque triumphet, omnisque ejus militia in erroribus & vitiis expugnandis sita sit? Quid etiam fiet de Infallibilitate Ecclesiæ, quam ad ravim usque crepant homines communionis Pontificiæ, si sapone & lixivio Inquisitionis Jesuitico-Papalis, diligenter est repurganda à *pravarum opinionum erroribus*, quò *tutò militare* & in portu, quod ajunt, *navigare* possit? ô miseram Ecclesiam Romanam, cui per tot annos *pravarum opinionum* errores Augustiniani potuerunt adhærere, donec tandem Divæ Cloacinæ beneficio, per sacrum hunc sellæ stercorariæ Præsidem, ὡς ἀπὸ μηχανῆς ab illis repurgata fuit, ut novis hisce tum legibus Pontificiis armata, tum armis Pelagianismi decorata, togatam suam & militiam & malitiam tutiùs deinceps queat exercere, ac superato periculo submersionis, quod suæ cimbę imminebat à Veritatis doctrina per Jansenitas cœlitùs revocata, suos præcipuos Vectores, Jesuiticis remis & contis, in portum non Gratię posterioris Adami, sed naturæ prioris subducere.

41. Est quoque valde absurdum quod à *tuta* Ecclesiæ *militia* transit Papa ad *Navem in tranquillo mari*, idest à castris ad classem, à militia ad malaciam: Item quod commemorat *tempestatum fluctus ac procellas*. Nam procellę & tempestates accedunt fluctibus, non verò tempestatibus procellæ vel fluctus: Ut nunquam salebrosiùs ipse salebrosus Santra vel scripserit vel loquutus fuerit: Hæ enim grandiloquæ metaphoræ tam malè cohærentes, satis indicant quam nesciat Innocentius, aut qui illi fuit à Secretis, illud Horatianum, *Humano capiti cervicem pector equinam* &c. Interim moneo Ecclesiæ vel militanti, vel naviganti, meliori Ductore & peritiori Nauclero opus esse Innocentio, qui hostilem illi erigit vexillum Pelagianismi, & ejus scapham, relictâ Gratiæ Divinæ Cynosurâ, ad Pharon Naupactæam Liberi arbitrij dirigit, ibi scopulos & Cyaneas ac naufragium certum reperturus, ubi *optatum salutis portum*, se consequuturum, stolidè sibi imaginatur.

42. Mittimus quod ineptè velit Innocentius procurare Ecclesiæ ut *securè militare & ad optatum salutis portam navigare possit*, cùm ex suę Synagogę placitis, nemo fidelium in Ecclesia de sua salute securus & certus esse possit aut debeat certitudine fidei. Mittimus quoque

quod

quod hic tam ambitiosè suas jactitet *multiplices curas*. Hæ sunt *Iliades curæ quæ mala corde serunt*, & Promethei Romani exedunt viscera: quarum objectum haud ultimum est *La Donna Olympia*, & familię Pontificię ad summos honores per fas & nefas exaltatio: Has *multiplices curas* Marthæ deponere ac Deo committere, fuisset fastigij Pontificij, atque *unum* illud *necessarium* curare quod Maria elegerat Luc: x, 42. Saltem dum eam curam sibi *inprimis cordi* esse jactat ut Ecclesiæ Dei benè sit, id illi queam reponere quod habet Virgilius *Æneid. 4.*

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos

Sollicitat; & Pontifex has versat sub pectore curas: *Equo ne credite Teucri.* Aut hæc cura eum parum tenet sollicitum, aut in curis suis expediendis parum fœlix est, ut nempe si quid pessimè curatum velis, ejus curę omninò committendum videatur.

43. Verum id planè insolens est, quod sibi universam Ecclesiam Dei *ex Alto* commissam mentitur. Non supernè est à Deo illa quam usurpat potestas Tyrannica, sed infernè à Diabolo; Non ab eo qui dixit Petro, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*; sed ab eo qui dixit Christo, *Tibi dabo hæc omnia si procidens adoraveris me.* Hac enim superbiâ injurius est in omnes alios Episcopos, & ut loquitur Gregorius I. *Epist. 34. lib. 4. illum imitatur qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere.* Audiat ergo quod idem Gregorius dicebat Iohanni Constantinopolitano *ibid. epist. 38. Certè Paulus Apostolus cùm audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, Ego Apollos, Ego vero Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamavit, dicens, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subjici particulariter evitavit. Tu quid Christo, universalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi judicij es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibi-met conaris Universalis appellatione supponere? Quis rogo in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus omnibus praeesse videretur? Qui etiam dixit, In cœlum conscendam, super*

astra cœli exaltabo solium meum: Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis; Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes universalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt, quorum vita simul & lingua inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis nisi, In cœlum conscendam & supra astra cœli exaltabo solium meum?

44. Pergit porrò Pontifex his verbis;

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem Quinque Propositiones ut suprà Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumq; suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemq; Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus.

Hæc autem omnia præter votum & petitionem Belgarum in suo *Planctu* evenerunt; nam in *libello justitiæ*, à Papa petierant *ut evocatis Episcopis & primariis Academiarum Professoribus, propositiones* excerptæ vel excerpendæ ex *Augustino* Iansenij, *judicialiter examinarentur & factâ accuratâ & fideli cum S. Augustini scriptis collatione, dispiceretur an revera ejusdem Augustini non sint.* Quibus verbis reverâ Synodi alicujus convocationem urgebant; prout receptum fuit olim, in veteri Ecclesia. Sic enim Constantinus Magnus apud Eusebium *lib. 2. de vita ipsius cap. 16.* sentiebat non posse Orthodoxiam *in tuto collocari nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars in unum convenissent, singulique sententiam de rebus ad sanctissimam religionem pertinentibus dixissent.* Ita Augustinus *lib. 1. de Bapt. contra Donatistas, cap. 7. Quæstionis hujus* (de Baptismo scilicet) *obscuritas*, inquit, *prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma*

Donati

Donati, magnos viros & magna charitate praditos Patres & Episcopos, ita inter se compulit, salvâ pace, disceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimum sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur.

45. Sed quia, Paulo Iovio Episcopo Italo teste *in vita Leonis X. nihil est magis invisum, aut suspectum, aut periculosum, aut formidabile Pontifici Romano quam nomen Concilij*, (unde quotannis per *Bullam in Cœna Domini*, excommunicantur solemniter omnes à Papa *appellantes ad futurum Concilium*) maluit Innocentius solus facere Concilium generale, & pro suo arbitrio has decidere Controversias, nullo advocato Episcopo, ne collateralitatem secum admittere videretur, sed tantum assumptis aliquot Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus carnalibus, melius in Macchiavello quam in Euangelio versatis, ac nonnullis Theologis Romanis, æstivè admodum ad graves has quæstiones viaticatis, & quibus pro solida eruditione est saccus aranearum plenus: Nec proculdubio hi ex alio grege fuêre quam Jesuitico, vel formaliter, vel eminenter; cùm Pontifex jam fascinatus & præoccupatus per factionem Jesuiticam, nulla hic Oracula voluerit consulere, quam quę possent egregiè φιλιππίζειν; ut nusquam magis quam Romæ, Jesuitæ Numen suum tutelare, quod quale sit atrum an album nunc non dico, propitium sibi experiantur; quia nempe Phantasma Ignatio apparens, & mentiens figuram Christi, ut Angelus tenebrarum solet se transformare in Angelum lucis, ei dixerat, *Ego Vobis Romæ propitius ero*, apud Maffeium in *Ignatio lib:2. cap.5.*

46. At verò, nec Cardinales Ecclesiæ Romanæ, in causa hac Episcopali idonei judices esse potuerunt; cùm hoc respectu illi nihil aliud sint quam Presbyteri & Diaconi Urbis Romæ in particulari, nemoque dubitare queat, *quin etiamnum hodie, si rectè calculus ponitur, Presbyter* quilibet gregarius, *ratione characteris Cardinali Diacono præferatur*, (ut loquitur Bartholomæus Gramondus Senator Burdigalensis vehementer Pontificius *Hist. Gall. lib.2.*) adeoque ipsi Cardinales Presbyteri infra quoslibet Episcopos subsidere debeant; nec solis Theologis Italis ista ventilatio debuit committi; cùm negotium

gotium ad Gallos & Belgas spectans, Gallis & Belgis Theologis inauditis, canonicè terminari non potuerit.

47. Quanquam non video, quid opus fuerit Pontifici hoc *diligenti* examine facto *à pluribus in Sacra Theologia Magistris*, aut quî debuerit *eorum suffragia tum voce, tum scripto relata*, colligere & expendere, cum ipse ex Infallibilitatis suæ plenitudine & potestate, potuerit de plano hanc tulisse sententiam. Si enim in scrinio sui pectoris omnia jura divina & humana conclusa tenet; Si Deus censeretur deficere Ecclesiæ suę in necessariis, nisi ei adesset immediatâ & infallibili assistentiâ Spiritus Sancti, in decidendis Controversiis fidei; Si ipse solus sapit & reliqui volitant sicut umbræ; tam absurdè fecit, ita prolixè consulendo alios Doctores errori obnoxios, ac perperam faceret Pictor accuratus, diu disceptans cum cœcis de coloribus in suo opere adhibendis; Cur non elegit potius illicò se imponi illi Cathedræ, ex qua, ut Pythia quondam ex Apollinis tripode, mera crepat vel eructat Oracula, quam uti tam prolixâ ac inutili circuitione, cùm frustra fiat per plura, quod citiùs, certiùs & commodiùs potest fieri per pauciora? An ergo ejus indolis est illius Infallibilitas, ut prolixa velitatione Theologastrorum Romanensium, debeat excitari, atque educi in actum ex potentia materiæ, ut chalybis attritu opus est in silice, ad latentes in ejus sinu scintillas ignis excutiendas? Sed tantæ molis erat Pelagianam condere gentem.

48. Quis autem exitus fuit totius istius scenæ μετὰ πολλῆς φαντασίας instructæ, ab homine magis sollicito de suis formulis, quam de Fide & Veritate? Docet id ipsemet verbis sequentibus;

Cùm autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum, iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus Assistentia, tandem Divino

vino Numine Favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem & Definitionem.

Hic verò multa sunt quæ scrupulum gravem moveant Jansenitis de Papę Infallibilitate, quam plerique ex illis hactenus nimiâ facilitate admiserunt. Nam solent ex isto fundamento Gratiam sufficientē quâ possint homines si velint, impugnare, quod frustra aliàs forent fideliū orationes, quibus precantur sive pro aliis ut convertantur, sive pro seipsis ut benè vivendo proficiant. *Nam quid stultius*, inquit Augustinus *lib. de nat. & gr. cap. 18. quam orare ut facias quod habes in potestate?* hoc est quod potes facere si velis: quod ipse Jansenius ex Augustino inculcat sæpius, ut *lib. 3. de gr. Christi Serv. cap. 1. 3. 13.* Imò & ipse Hieronymus *ad Ctesiph.* docet non opus esse *illius clementiam precibus flectere ut accipiamus quotidie, quod semel acceptum in nostra est potestate.* Quidni enim pariter colligent non adesse certò & perpetuò Pontifici Romano infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, siquidem eam tanto precum & alienarum & suarum molimine hîc studuit implorare?

49. Mirabuntur quoque viri prudentes, quî debuerit aliorum *multorum Christi fidelium preces tum privatim, tum publicè*, indicere Sanctissimus Innocentius, & suas insuper adjicere ad extorquendam Deo assistentiam Spiritus Sancti, cùm eam Deus teneatur illi omni jure suppeditare in decidendis fidei quæstionibus, etiamsi profanitate & impietate ipsum Caiapham superaret, quoniam est summus Sacerdos istius anni? Aut cùm ipse *per se* hanc *assistentiam* implorare multo efficaciùs potuerit, eò quod habeat claves Regni cœlorum, & tantum possit in Aula cœlesti, ac possunt in sua Curia Cardinalis Pręfectus & Barbarini, cur gregariorum fidelium preces & suffragia imploraverit pro se, qui per modum *Iurisdictionis*, vel *Suffragij*, in reliquos omnes, etiam in eos qui in Purgatorio laborant, plenissimas Indulgentias prout vult effundere potest? Imò id mirabuntur cordatiores, Pontificem tam sollicitè invigilasse *ad Divinum implorandum Auxilium*. in eo judicio, quod Divini Auxilij necessitatem & efficaciam penitùs evertit: quodque ab ipso *tandem* latum est, non ut gloriatur *Divino Numine favente*, sed Deo potius irato, & annitente

tente Satanâ, Veritatis, Gratiæ & Crucis Christi inimico.

50. Quid quod Jesuitæ impugnaturi certitudinem perseverantiæ & salutis, quam propugnant Reformati, hoc inter alia utuntur argumento, quod perseverantiæ donum sit jugiter petendum à Deo piis precibus. Videant ergo num hæ prætensæ preces Papales, quibus voluit Innocentius se accingere ad istud judicium, vehementer obsint illius Infallibilitati. Ne dicam quod incertò valde jactitet preces illas à se indictas, *postmodum* iteratas fuisse *ferventiùs*. Unde enim ipsi constabit de illo fervore vel intensiori vel remissiori precantium, qui soli Deo notus est? Imò si preces tum suæ tum alienæ eæque ferventes requirebantur ad obtinendam immediatam assistentiam Spiritus Sancti, absque qua potuerit errare in hoc judicio, unde vel ipsi vel nobis constabit, illas satis fervidas fuisse ut à Deo exaudirentur? Cùm nec ipse Innocentius certus esse possit se habere Spiritum precum & esse filium Dei, nec de ipso & aliis certi possimus esse eos esse verè fideles, & in quos illud non cadat Joh: IX, 31. *Scimus quod Deus peccatores non audiat?* Et quam sine Deo, *ad infra scriptam* devenerit *Declarationem & Definitionem*, vel ex eo liquet quod nullo muniatur testimonio Verbi Dei; proculdubio ex prisca declaratione Ipsiusmet, *Io non so Theologo.* Attamen erubescimus sine lege loqui; Et Petrus de cujus successione Pontifex perperam gloriatur, volebat loquentem in Ecclesia loqui ὡς λόγια θεοῦ 1 Pet: IV, 11.

51. Ipsam verò *Definitionem*, si perpendamus, videbimus montes parturivisse ut ridiculus mus nasceretur: Ea sic procedit.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta Hominibus Justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoq; illis Gratia quâ possibilia fiant; Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam & Hæreticam declaramus.

Ad sequentem Diatribam reservamus quæstiones juris, & refutatio-

nem ex

nem ex Dei Verbo & Antiquitate Catholica; hujusce *definitionis* Pontificiæ; nonnulla tamen ad singulas has censuras breviter annotabimus: Hic itaque mirum non est hanc Jansenij & Augustini doctrinam tam atrociter damnari, cum intersit plurimum Synagogę Romanæ & Theologiæ Jesuiticæ eam non retineri ab iis qui docent, 1°. *Posse hominem solis NATVRÆ viribus implere SINGVLA seorsim PRÆcepta naturalia & moralia, posse etiam uno altero-ve actu amoris naturalis Deum ut authorem naturæ DILIGERE SVPER OMNIA*, ut habet Tirinus *Contr. 14: n. 7.* Videatur & Bellarminus *lib. 5. de gr. & lib. arb. cap. 5.* 2°. Homines justificari coram Deo justificatione primâ & secundâ suis operibus, eaque esse simpliciter *de condigno* meritoria vitę æternę; Videsis Lorinum *ad 2. Iac. versu 21.* & Bellarminum *lib. 5. de Iustif. cap. 16.* Nec enim posset justificari homo Legis operibus, & illis *ex condigno* simpliciter mereri vitam æternam, nisi Legem perfectè posset implere; *Non enim*, inquit Paulus Rom: 11, 15. *qui audiunt Legem, sed qui Legem præstant justificabuntur*, supple ex Lege; Aliàs qui *vel in uno* ex mandatis Legis *impegerit, damnas est omnium* Jac: 11, 10. Adeque boni Augustiniani & Jansenitæ, sibi benè conscij suorum defectuum & peccatorum, malunt cum B. Augustino omnem suam justitiam *potius in peccatorum* suorum *remissione*, quam *in perfectione virtutum* suarum collocare, *lib. 19. de Civit. Dei cap. 27.* 3°. Posse homines per *opera supererogationis*, non *solum præcepta sed etiam consilia adimplere & plus facere quam Deus præcepit*, ut loquitur Bellarminus *præf. ad libr. de Monachis* & probare conatur *ejus lib. cap. 9. & seqq.* 4°. Concupiscentiam quæ remanet in baptizatis, & *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, verè & propriè peccatum non esse*, ut loquitur Concilium Tridentinum *sess. 5. can 5.* 5°. *Actum internum Amoris Dei esse Consilij tantum non Præcepti, nec tam præcipere Deum sui amorem, quam prohibere sui odium, & posse hominem servari qui nunquam Deum dilexerit; sufficere enim illius præcepta servare, sine intentione ad ipsum vel ejus dilectione*; quæ impietates tribuuntur Antonio Syrmondo Jesuitæ, in libro quem inscripsit *Defensionem virtutis*, ab Authore Sorbonista *Theologiæ Moralis Iesuitarum pag. 7. & 8. edit. Gall. anno 1644.* 6°. Gratiam *sufficientem ad salutem* dari omnibus & singulis, etiam *maximis peccatoribus excæcatis, & induratis*, quâ possint si velint Deo

obedire & servari, ut eam propugnant Tirinus *Cont.14. n.11. & 12.* & Bellarminus *lib.1. de Grat. & lib.arb. cap.11. & lib.2. cap.5. & 7.*

52. Præsertim hic venit observanda atrocitas Censuræ Pontificię; quod non tantum erronea, aut falsa, aut temeraria, aut scandalosa, pronuncietur hæc assertio, sed *Temeraria*, *Impia*, *Blasphema*, *Anathemate damnata & Hæretica.* Ubi quis meritò quærat cui bono hic athroismus; & quid mysterij lateat in ista varietate, quâ fit ut *secunda* & *tertia* propositio nonnisi hæreticæ dicantur, *tertia* falsitatis insuper arguatur, sed *prima* & *quinta*, *Impietatis* & *Blasphemiæ*, per modum superpondij, notam incurrant: Etenim propositio quæ *hæretica* est, eoipso blasphema, impia, falsa, temeraria dici potest. Quoad me mihi videtur eâ vehementiâ speciatim usus Pontifex in primam & ultimam, quod evidentioris & manifestioris sint veritatis, ut solent meretrices honestam matronam diffamantes, eò plura in illam convicia aggerere, quò ejus probitas & castitas magis est conspicua. Sed præterea cum honestioribus jamdiu persuasum sit crimen *Hæreseôs* hodie Romæ, ut olim *Majestatis* sub prima Bestia, esse eorum qui sine crimine vivunt, miseri Jansenitæ damnandi fuerunt insuper Impietatis, Blasphemiæ, Contumeliæ in Deum &c. quo citiùs invidiæ, execrationi & odio omnium exponerentur, & equulei ac rotę illis apud Magistratum Zelotam, (quod jam ante hanc *Constitutionem* tentatum à Jesuitis, refert in *præloquio ad Lectorem* Author Apologię *Gall. pro Iansenio* editę anno 1644.) faciliùs compararentur: *Blasphemia* enim *gravior est per jurio & homicidio*, inquit Emanuel Sà in *Aphor.* & ex legibus capitali supplicio punienda, ut est in *Armilla aurea* ad vocem *Blasphemia n.3.* Sed viri cordati & veritatis tanti momenti studiosi, istis parum moventur, & dicunt cum B. Cypriano *ad Cornelium lib.1. epist.3. Convitia eorum quibus se & vitam suam quotidie lacerant non timemus; Fustes & Lapides & Gladios quos verbis parricidalibus jactitant, non perhorrescimus. Quod in illis est, homicidæ sunt apud Deum tales, necare tamen non possunt nisi Dominus permiserit. Sed non idcirco relinquenda est nobis Ecclesiastica disciplina, aut Sacerdotalis solvenda censura, quoniam conviciis infestamur aut terroribus quatimur;* &c.

53. Huic etiam Censuræ primæ speciale est, quod propositio Janseniana *Anathemate damnata* pronunciatur, non quod aliæ ceu hæ-

reticę,

reticæ, non sint eoipso *anathemate* perculsæ, sed forte quod jam authoritate Concilij Tridentini *sess. 6. can. 18.* his verbis condemnata sit: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Sed si Jansenitæ audiant Protestantes, non facilè larvâ & μορμολυκείῳ hujus Conciliabuli se terreri patientur: Scatet enim erroribus & contradictionibus affectatis, ex eodem fonte profectis ex quo erupit quondam illa vox, *Aio te Æacidam Romanos vincere posse.* Et manet Gallis sua generalis exceptio, illius Canones & Decreta non obligare in Gallia: Nec enim solum anno *1615.* in Regni Comitiis, cùm ejus promulgatio urgeretur à Papæ mancipiis, tertius Ordo intercessit, sed etiam anno 1616. Edicto Regio, Principibus annitentibus, cautum fuit *art.6.* in hæc verba: *Concilium Tridentinum ut apud Gallos non valeat, pristinoque ut restituantur statui, quæ Clerus super ea quæstione præter Regis mentem & privilegia Regni novavit*, ut Gramondus refert *Histor. Galliæ lib.1. & 2.*

54. Sed & cæteri possint dicere hoc *Anathemate* Tridentino, se non peti, quia 1. Concilium non habet syncategorema *Omnia*, ejusque propositio non est universalis; 2. Non debet intelligi de possibilitate absoluta & simplici, sed tantum limitata & secundum quid, qualis potest cadere in viatores, quibus jugiter pugnandum cum carnis & peccati reliquiis. Patet id ex ejusdem Concilij *sess. 2.* ubi fideles Tridenti congregatos hortatur ut studeant se *à malis & peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpiùs confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta deniq; Dominica, QUANTUM QUISQUE POTERIT adimplere*; Quę quidem modificatio foret impia, si justificatus posset absolutè & perfectè omnia servare. Id ipsum explicat Concilium *ejusd. sess.6.c.11.* ubi dicit quod Deus *jubendo monet & facere quod possis & petere quod NON POSSIS*: & agnoscit justos & sanctos *in hac mortali vita, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata* incidere, esseque *justorum illam vocem & humilem & veracem, Dimitte nobis debita nostra.* Et *can.23.* anathemate percellit eum qui dixerit, *hominem semel justificatum amplius peccare non posse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare.*

55. Procedit porrò ulteriùs Censura Pontificia;

Secundam: Interiori Gratię in ftatu naturę lapfę nunquam refiftitur; Hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

Ut in præcedenti Cenfura Pelagiano-Jefuitarum ἀπάθεια & ἀναμαρτησία qualis defcribitur & refutatur Hieronymo *ad Ctefiph.* ne iterum Auguftinum in fcenam revocem, conftabiliebatur, fic in hac, Gratia divina, juxta fpecialem Pelagianifmi characterem apud Auguftinum paffim, nominatim *de haref. ad QuodvultDeum cap. 88.* voluntati humanæ quam fibi fubjicere deberet fubjicitur; Adftruitur Gratia *fufficiens* Semipelagianorum inventum; & omnis efficacia Gratiæ divinæ ex arbitrio humano fufpenditur; juxta hoc Tirini Jefuitæ axioma *Cont. 14. n. 4. Excitari, trahi, inuitari à Deo, non eft mihi liberum: Liberum tamen mihi confentire, vel non confentire, excitanti; & trahentem fuadentem, invitantem, fequi vel non fequi:* Subruitur certitudo & infallibilitas Prædeftinationis divinæ, quę definitur Auguftino *de præd. Sanct. cap. 10.* & Lombardo ex ipfo *lib. 1. dift. 40. Gratiæ præparatio,* fi Gratia hæc infallibiliter & infuperabiliter non operatur; Et denique in Canonem recipitur illa Liberi Arbitrij definitio falfa, erronea, certitudinis præfcientię & decretorum Dei everfiva, & ex qua homo conftituitur in agendo independens à Deo, quam *neque apud Ariftotelem, neque apud Magiftrum fententiarum, neque apud Thomam, fed tantum apud aliquos Nominales* inveniri, teftatur Didacus Alvarez *difp. 115. de Aux. §. 1.* quâ ftatuitur Liberum arbitrium id effe, *quod pofitis ad agendum prærequifitis poteft agere vel non agere.*

59. Non minus continet Myfterij iniquitatis quod fequitur;

Tertiam: Ad merendum & demerendum in ftatu naturæ lapfæ non requiritur in Homine libertas à neceffitate, fed fufficit libertas à coactione; Hæreticam declaramus & uti talem damnamus.

Eodem enim collimat Cenfura hæc quò præcedentes, ut fubjiciatur voluntati humanæ Gratia divina, & Jefuitarum Theologia magis confta-

constabiliatur; Nam Bellarminus hanc libertatem *à necessitate* multis conatur adstruere *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 4. 5. 6.* Id verò speciatim hîc est *μυςηριώδης*, quod Papa non ausus est libertatem *ab omni necessitate* universaliter Arbitrio humano assignare, sed tantum indefinitè *à necessitate*; quæ & qualis illa sit non explicando; Nam si dixisset universaliter *ab omni*, tum nimis apertè independentiam Arbitrij humani à Deo proposuisset; Si adjecisset notam particularitatis *ab aliqua*, consentientes habuisset Jansenitas, qui ultrò sint admissuri in libero agente, libertatem à necessitate physica & naturali, quæ est agentium cognitione destitutorum, & ex sua intrinseca constitutione ad unum specificè determinatorum. Nisi dixeris eum hanc libertatem *à necessitate*, proponere per antithesim ad Jansenitarum doctrinam, eamque demum necessitatem intelligere quam illi propugnant vel ex Gratiæ Efficacia, vel ex status nostri sub peccato lege & conditione.

57. In quarta adhuc multo plus est ambiguitatis & vitij;

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere vel obtemperare; Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Hic Oedipo aut Sphynge opus foret ad mentem Innocentij percipiendam: Nescias enim an illud *Falsum & Hæreticum*, debeat sumi conjunctim de tota Propositione hac, an divisim, ut *τὸ Falsum* respiciat id quod est facti, *τὸ Hæreticum* quod juris est. Nescias quo jure ad propositiones *in materia fidei*, ut istæ dicuntur, ea referatur quæ tota facti esse videtur, quid videlicet senserint *Semipelagiani*, & in quo hæreseôs fuerint insimulati à suis oppugnatoribus. Meritò quoque dubites an Papæ infallibilitas, huc possit extendi, cum in facti quæstione errare possit: Et num ille sit hæreseôs accersendus,

qui hæreticis aliàs notoriis aliquid forte impegerit quod non crediderint, aut eorum hæresim in eo collocaverit, in quo revera sita non fuerit.

58. Id equidem *falsum* esse ultrò largientur Jansenitæ, quod *etiam ad initium fidei*, Semipelagiani gratiæ interioris necessitatem urgerent. Nam Jansenius ipse hoc ultrò agnovit & docuit, ut suprà ostendi; adeoque hujus particulæ respectu falsò dicitur hæc propositio esse Jansenij, aut deducta ex illius opinionibus; Et fortè Deus permisit ut in hoc mendacio ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenderentur Papa & Jesuitę, quò magis toti Orbi constaret quam cœco affectu & impetu hîc egerint, atque de illis posse dici *Et crimine ab uno Disce omnes.* Sed quoad cœtera falsum non est, Semipelagianos *Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus* bonos, si fidem exceperimus, admisisse: Id liquet ex tota *Collatione 13.* Cassiani; Liquet ex verbis Fausti Rhegiensis *ad Lucidum*, quod *cum gratia Domini operatio famuli baptizati* semper sit adjungenda; eique dicendum *anathema* qui hominem *sine gratia Dei liberari posse crediderit*; unde paullò post subjungit; *Nos ergo per medium Christo duce gradientes, post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem officiosæ servitutis asserimus*; Liquet ex ipsius Lucidi Palinodia; *Ita assero gratiam Dei, ut annisum hominis & conatum gratiæ SEMPER adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam & infirmatam esse pronunciem.* Liquet ex Gennadio *de Viris Illustr. in Fausto*, ubi de eo sic loquitur; *Edidit quoque opus egregium de gratia Dei quâ salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio in quo servamur; In quo opere docet gratiam Dei semper & invitare & præcedere & juvare voluntatem nostram; & quicquid ipsa libertas arbitrij pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.* Unde autem meliùs constabit de Semipelagianorum sententia, quam ex Cassiano, Fausto, Gennadio, qui eorum, ut omnes fatentur, primipili fuēre? Si tamen hi non sufficiant in propria causa, de illis Hilarius Arelatensis *in Epist. ad August. de reliq. Pelagij*, testatur quod consentiant *ad nullum opus vel incipiendum nedum perficiendum quenquam sibi sufficere posse.*

59. Falsum item non est Semipelagianos *Gratiam talem* prædicasse *cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Nam Faustus V.S. *anathema* ei denunciat *qui dixerit illum qui periit non accepisse ut salvus esse*

posset

posset: & Hilarins *in Epist. ad August. de reliquiis Pelagij*, jam citatus, testatur hos Augustini censores, liberum arbitrium *ad hoc tantum liberum* affirmasse, *ut velit vel nolit admittere medicinam*; & contendisse, *quicquid libet donatum sit prædestinatis*, *id posse* eos *& amittere & retinere propriâ voluntate*, & quod *persistendi ac desistendi* habeant *liberam voluntatem*; Quapropter etiam nullum aliud Gratiæ adjutorium, eodem teste, admittebant quam illud *sine quo non* velimus, non illud verò *quo* velimus: In quo certum est eos hæreseôs fuisse insimulatos à Prospero, Fulgentio, & aliis; Imo Concilium Arausicanum II. quod fatentur omnes propter errores Semipelagianorum fuisse habitum, ubi *can. 5.* definivit ac probavit *quod initium fidei non ex nobis sed ex gratia Dei sit*, docet *can. 6.* per gratiam *in nobis* fieri *ut credamus & velimus*, adeoque irresistibilitatem gratiæ, etiam post fidem, non minùs quam illius necessitatem conceptis verbis adstruit. Et si hæc non fuit hæresis objecta Semipelagianis, debuisset Nocentius Romanus verbo dicere quid ergo, præterea quod fidei initium sibi non gratiæ deputabant, perperam docuerint, & in quo cardine eorum hæresis insuper versaretur.

60. Igitur in eo demum censura Pontificia consistit, ut eos hæreseôs insimulet qui hæreticum statuerint eam duntaxat Gratiam proponere *cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare*: Adeoque uni resistibilitati Gratiæ asserendæ hîc collimat Innocentius, & nihil quantum ad juris quæstionem improbat, nisi quod jam ante in secunda Propositione atro calculo notaverat. Sed hac arte debuit primò *Parallelum* Jansenij, ex quo maxima sui parte hæc Propositio desumpta est, quo jure quâ injuriâ notari in gratiam Jesuitarum, quibus ista comparatio prolixa & eruditè proposita à Jansenio inter ipsos & Massilienses sive Semipelagianos, valdè odiosa est, quia *Veritas odium parit*; Deinde de Semipelagianis negandum fuit eos fuisse hæreticos in illo capite in quo potissimum adversabantur S. Augustino, quod paria cum illis facere Jesuitas sit in comperto. Ecquis ergo non videat in sensum reprobum actum Innocentium, qui eò procedit vęsanię ut malit notorios hæreticos, nempe Semipelagianos, absoluere, propter Jesuitas in quibus largiter renascuntur, quam Jansenitas iteratò non condemnare?

H 61. Super

61. Supereſt Cenſuræ iſtius caput quintum, quod ita habet;

Quintam; Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; Falſam, Temerariam, Scandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit; Impiam, Blaſphemam, Contumelioſam, Divinę Pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Verùm & hîc multa occurrunt obſervanda: Nam primò falſum non eſt Semipelagianos, illam univerſalitatem Redemptionis Chriſti propugnaſſe; cùm revera nihil aliud habuerint odioſius quo gravarent ſententiam Auguſtini, quod patet ex ipſomet Auguſtino *ad artic. ſibi falſò impoſitos*, Proſperi & Hilarij *epiſtolis ad ipſum*, Ipſomet Proſpero *in reſp. ad Obj. 1. Vinc. & 6. Gall.* Et potuiſſet Innocentius in hac cenſura, non minùs quam in prima, iſtam aſſertionem quæ negat Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, jam olim *Anathemate damnatam* pronunciare, nempe à Fauſto Rhegienſi, Semipelagianorum primipilo, & ſuo proſelyto Lucido, qui *Anathema* denunciant dicenti *quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes ſalvos eſſe velit.* Sed fortè puduit Innocentium tales Patriarchas ſuæ ſententiæ ita palam agnoſcere, quamvis tam facilè poſſit ex hæreſi non hæreſim, ac ex non hæreſi hæreſim, & ex non peccato peccatum fabricari.

62. Secundò, cum Judicis ſententia debeat ſemper Actoris libello reſpondere, ut non plus ſit in concluſione quam in præmiſſis, mirum eſt aut Propoſitionem damnandam non fuiſſe conceptam his verbis, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe, cùm revera pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit*; aut cùm in ea nulla fieret reſtrictio mortis Chriſti ad Prædeſtinatorum ſalutem, Pontificem euſque voluiſſe

luisse extendere suam censuram: Sed videtur hoc ex professo adjecisse, quò non Jansenitis modò, sed etiam S. Augustino & omnibus Augustinianæ veritatis Sectatoribus atrociorem notam inureret Impietatis, Blasphemiæ, Contumeliæ, injuriæ in Divinam pietatem, Hæreseôs. Verè enim monet Jansenius, *lib. 3. de grat. Christ. Servat. cap. ult. proprietatem Redemptionis & propitiationis Electis & reipsâ salvandis maximè competere*, esseque id *adeo in doctrina* B. Augustini *verum, ut passim omnes locutiones sacrarum literarum quæ quandam universitatem effectuum passionis, aut mortis, aut redemptionis, aut divinæ gratiæ insinuant, ad solos Prædestinatos revocet & restringat*; quod plurimis Augustini testimoniis luce meridianâ clarioribus *ibid.* comprobat.

63. Tertiò id subit mirari cur Propositionem Jansenianam ut jacebat, duntaxat *falsam, temerariam & scandalosam* pronunciet Papa, non verò hæreticam; Videtur enim eatenus largiri Jansenio, eum non fore *hæreticum* qui negaverit Christum universaliter mortuum pro omnibus; cùm tamen si debeat omninò universaliter sumi & de singulis generum, syncategorema *Omnes*, quo utitur quandoque hac in re Sacra Scriptura, is impietatis & hæreseôs notam in re tam gravi nequeat evadere, qui illud limitare & restringere ausus fuerit: Nam ubi lex non distinguit aut limitat, distinguere vel limitare non licet. Nec sanè erat cur Innocentius suam Censuram bimembrem faceret; cùm ideo Jansenitæ negent *Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*, quod statuant eum pro solorum suorum Electorum SALUTE acquirenda & conficienda passum fuisse. Neq; enim Christus in illorum Schola pro aliorum Salute mortuus est, quam eorum quos ad Salutē per ipsum Deus volebat adducere; Hinc in Catechismo Gratiæ *Erot. 66.* huic quæstioni, *Num alios quam suos Electos Deus vult servare?* Respondetur, *Non: Solos eos vult servare, quos prædestinavit; Prædestinavit autem solos suos Electos. Si singulos homines vellet servare, cum faciat quicquid vult in cælo & in terra, de facto omnes eos servaret; Et ideo hæc sententia Apostoli, Deus vult omnes servari, non est intelligenda de singulis hominibus nullo excepto; sed de omnibus Electis & prædestinatis qui sunt ex omni ordine, ætate, sexu, natione & conditione.* Quæ est ipsissima Augustini doctrina *Enchir. ad Laur. cap. 103.* eo quod *Omnipotens velle inaniter non potest, quodcunq; voluerit*, & *facere noluit quodcumq; non fecit.*

64. Intererat autem plurimùm Jeſuitico-Pelagianę cauſæ, damnari hæreſeôs, qui ſtatuunt *Chriſtum pro Salute duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe*, quod hac everſâ capitali veritate, poſitâque univerſali Redemptione omnium & ſingulorum ſi voluerint in Chriſtum credere eumque ſibi applicare, debeat I. Concedi Gratia Univerſalis Sufficiens quâ homines credere poſſint ſi velint, ętſi nemo unquam per illam aut crediderit, aut credere voluerit, aut ſervari potuerit; nec aliò inſerviat in Schola Jeſuitica, quam ut homines juſtiùs damnari poſſint. II. Præcurriſſe in ſigno rationis decreto Prædeſtinationis æternæ, decretum Redemptionis per Chriſtum, cùm tamen ſimus electi *in Chriſto* Eph: I, 4. ideſt ad ſalutem eam conſequendam quam Chriſtus, nobis illo ipſo Electionis noſtrę decreto in Redemptorem deſtinatus, ſuâ paſſione & morte erat confecturus; ſitque Prædeſtinatio facta hominum jacentium, non in *maſſa* Redemptionis, ſic enim nullus juſtè reprobabilis fuiſſet, ſed in *maſſa* perditionis & peccati, ut univerſa docet Scriptura & centies inculcat Auguſtinus. III. Admitti inficeta diſtinctio Voluntatis Divinę in *Antecedentem & Conſequentem*, ut illâ voluerit Salutem omnium & ſingulorum in Chriſto, velleitate inutili & inefficaci, hac eorum demum ſalutem velit qui ſervari voluerint; ut cùm non potuerit evenire quod priori voluiſſet, poſteriori cogatur id demum velle quod potuit evenire. IV. Statui facta Prædeſtinatio æterna, non juxta Paulum & Auguſtinum, ex liberrimo Dei beneplacito, quo ex duobus æquè perditis in Adamo & æquè dignis morte æternâ, unum aſſumpſit miſericorditer liberandum & ſervandum per Chriſtum, alterum præteriit & juſtè reprobavit, ſed juxta Pelagium, ex prævìſione meritorum & operum noſtrorum & boni uſus liberi arbitrij, quo ipſi Deum elegerimus non Deus nos, contra dictum Servatoris Joh: XV, 16. & Paulo petenti I Cor: IV, 7. *Quis enim te diſcernit?* Jeſuita quilibet poſſit audacter reſpondere, Ego: nam quiſque ſuæ fortunæ ſibi faber eſt.

65. Sed nec illud prætereundum, tanto furoris œſtro in damnandis Janſenitis Innocentium agitatum fuiſſe, ut impietatis, hæreſeôs, blaſphemiæ, damnet Propoſitiones Theologicas, quæ etiam uti jacent, in ipſorum Jeſuitarum Schola, & ex eorum Con-

fessione verum & Catholicum sensum possint recipere. Nam cùm fateantur comprehensores perfectiùs diligere Deum quam viatores, ut habet expressè Becanus *Man. lib.1. cap.17. q.2.* & neminem hunc mundum transigere absque peccatis *quotidianis* & venialibus, de quibus sit dicendum quotidie *Dimitte nobis debita nostra*, unde statuit Bellarminus *lib. 4. de Iustif. cap.10. non posse legem impleri ita perfectè ut justi in tota vita non admisceant operibus bonis ulla peccata venialia*, quod probat ex Concilio Tridentino *sess.6. cap.11.* eo ipso fateri debent *Aliqua Dei pracepta hominibus justis volentibus & conantibus non esse* absolutè & perfectè *possibilia*, ita ut illis possibile sit in hac via carere omni peccato etiam veniali; quod non minus esse contra Dei Legem quam mortale, asserunt Durandus *in 2. dist.34. q.6.* Vega *lib.14. super Concil. Trid. cap.13.* Vasquez *disp. 143. cap. 3.* ut agnoscit Becanus *de mort. & ven. q.7.* ne solus Jansenius id statuisse videatur.

66. Cùm item distinguant Jesuitę inter Gratiam Sufficientem & Efficacem, & hanc dicunt eam esse quâ *Deus ita hominem vocat & excitat, ut INFALLIBILITER reipsâ velit ille qui sic excitatur & vocatur & reipsâ credat, convertatur, bonum faciat*, finitore Bellarmino *lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 2.* qui *cap.11.* probat variè ex Scripturis eam dari, eique convenire illud Augustini *de Pradest. Sanct. cap.12.* (debuisset dicere *cap.8.*) *Hac gratia à nullo duro corde respuitur*, (mala manus in quibusdam Codicibus, pro *respuitur*, posuit *recipitur*, contra mentem & scopum authoris) *ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*; Annon saltem in eorum Schola verum erit quod *Gratia interiori* efficaci, (nec aliam intelligunt in sua thesi Jansenitæ) *in statu natura lapsa nunquam resistitur*; adeoque hæreticum esse & Semipelagianum *gratiam* hanc *talem* statuere, *cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare?*

67. Cùm etiam concedant, necessitatem non peccandi in Christo, non obfuisse ejus vel merito vel libertati, apud Bellarminum *lib. 5. de justif. cap.11.* & multiplicem nobis proponant necessitatem quæ libertati non repugnat, apud eundem *lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. ult.* ac doceant per necessitatem non peccandi non tolli liberum arbitrium beatorum *lib.3. de grat. & lib. arb. cap.6.* adeoque nec everti libertatem dęmonum per necessitatem peccandi, & fateantur necessi-

tatem hypotheticam & infallibilitatis eventus ex suppositione decreti & præscientiæ Dei optimè conciliari cum libertate Creaturæ, debent ex consequenti admittere hoc verè & citra hæresim posse dici, quod *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas* ab omni *necessitate*, sed tantum ab aliqua, quod & Jansenitæ haud gravatim sunt concessuri. Sed Innocentio x. hanc assertionem in Jansenio damnanti, posset opponi Innocentius I. ejusdem Sedis, sed alterius sententiæ Episcopus: Is enim ita loquitur in *epist. ad Concilium Chartag. apud. Aug. ep.91. Quotidiana ille præstat remedia quibus nisi freti confisiq; nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* NECESSE *est enim ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur*: & *in epist. ad Conc. Milevit. apud Aug.93. Gratiâ privatus* NECESSE *est in diaboli laqueis irretitus occumbat.*

68. Denique cum ipsimet statuant Christum *sufficienter* quidem esse mortuum pro omnibus hominibus, sed *efficienter* pro solis Electis, quæ est constans doctrina non tantum omnium Scholasticorum, post Lombardum *lib.3. sentent. dist.20.* sed etiam ipsiusmet Innocentij III. P.R. ut & hunc Innocentio x. opponam, qui *lib.2. cap.41. de Myst. Missæ* sic loquitur, *Pro solis Prædestinatis effusus est sanguis Christi, quantum ad efficaciam; sed pro omnibus hominibus effusus est quantum ad sufficientiam*: Annon debent admittere quodam sensu ceu veram & Catholicam hanc ipsam Propositionem, quæ non Temeraria modò & Falsa pronunciatur, sed Impia, Blasphema, Contumeliosa, *Divinæ* pietati derogans & hæretica, quod *Christus non pro omnibus omninò hominibus*, sed *pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit?* Quid autem vel stultius, vel iniquius quam eas *Propositiones* uti jacent Hæreseôs Blasphemiæque damnare absque limitatione, distinctione & explicatione, quæ aliquo saltem sensu veræ & Catholicæ sunt agnoscendæ?

69. Quod si dixeris eas ab Innocentio non damnari nisi in sensu Janseniano, nihil dixeris. Nam hæc illius condemnatio & censura est omninò absoluta & universalis; ac si eam voluisset ad aliquem sensum sequiorem restringi, illum enucleatiùs debuisset proponere ac secernere à sensu vero & orthodoxo quem censeret retinendum: *Qui benè distinguit, benè docet.* Sed justo Dei judicio debuit evenire

huic Herculi furenti vel Rolando furioso, ut dum Andabatarum more micat in tenebris, amicorum copias ab hostilibus non discerneret, & ita posset manifestiùs convinci, etiam in Jesuitarum conscientiis, veritatis rejectæ atque condemnatę. Hæc enim quæ dixi radio Solis descripta sunt, ita ut nullus Jesuita aut Anti-Jansenita, quantumlibet vehementissimus, queat unquam, si modò in suorum Theologia planè hospes non fuerit, hanc Innocentij *Constitutionem* uti jacet, & absque ullis restrictionibus, limitationibus & distinctionibus, admittere; debebitque brevi consuli iterum Apollo Romanus ut novis Oraculis, horum caliginem & amphibologiam discutiat.

70. Verùm non solum hîc Innocentius damnat atrociter *Propositiones* quas vel ipsimet Jesuitę, uti jacent, certo sensu veras esse debent confiteri, sed etiam earum condemnatione & censurâ arietat alia suæ Doctrinæ capita, ut nusquam veriùs appareat Papatus errores, instar fratrum Cadmeorum, se mutuò evertere & confodere. Innocentius vult *Omnia Dei Præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires esse possibilia*: Ergo non fuit *Privilegium* speciale & singulare B. Virginis, ut vulgò docetur, quod absque peccato vitam transegerit; cùm in eo nihil habuerit quod cuilibet fideli justo convenire non possit. Item poterit quilibet esse absq; speciali revelatione certus suę salutis certitudine fidei, cùm hanc secum trahat necessariò omnium Dei mandatorum exacta præstatio. Item poterunt dari fideles & justi in hac vita qui nec debeant confiteri sua peccata, quibus carebunt, maximè cum *jure divino* nemo teneatur ad venialium confessionem, ut etiam ex Concilio Tridentino *Sess. 14. c. 5.* docet Becanus *cap. 36. de Sacr. q. 6.* nec possint communicare Eucharistiæ, cum prævia Confessio ad Communionem de jure & praxi Ecclesiæ Romanæ requiratur.

71. Innocentius vult *Gratiæ* Divinæ *in statu naturæ lapsæ posse resisti*; Ergo Sacramenta, uti vulgò docetur, non agunt infallibiliter & *ex opere operato*, ad suos effectus producendos. Vult libertatem à *necessitate* requiri *ad merendum & demerendum*; Ergo non ita fuerit confirmata B. Virgo, quin potuerit peccare, & ad essentiam ac perfectionem liberi arbitrij pertinebit facilitas & facultas peccandi. Vult

Christum

Christum *pro omnibus omninò hominibus esse mortuum*; Ergo Sacrificium Missæ deberet quoque offerri universaliter pro omnibus hominibus, cùm tamen id nefas sit fieri pro hæreticis & excommunicatis, judicibus Becano *cap.25. de Sacr. q.15.* & Bellarmino *lib.2. de Missa cap.6.* qui etiam agnoscit quod *tota Liturgia Ecclesiæ Latinæ, ut nunc est in usu, refertur* & restringitur *ad solos fideles, ut patet ex precibus oblationis tum extra tum intra Canonem.* Sed dum expectamus novas Jesuitarum ferruminationes ad hæc ἀσύγκλωστα concilianda, audiamus porrò quomodo absolvatur *Constitutio* Innocentij.

72. Ut in condemnanda atrox & immanis fuit, ita in concludendo ferox est & Tyrannus sequentibus verbis;

> Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra Declaratione & Definitione continetur, sub censuris & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in jure expressis.

Satis sanè pro imperio; Nec potuit luculentiùs personam Antichristi agere Pontifex, quam se & suam insubidam *Constitutionem* in normam indeclinabilem fidei in Ecclesia constituendo, & Hæreses suas Pelagianas pro certis & indubitatis Religionis Christianæ articulis tanta cum impudentia & protervitate in hac Euangelij luce orbi terrarum obtrudendo. Minas quas hîc intentat parum curabunt cordati Jansenitæ, apud quos prævalebunt causa Gratiæ, Verbi Divini reverentia & amor Veritatis. Olim id obtinuit axioma inter Canonistas, *De occultis non judicat Ecclesia.* Sed Papa vult hodie suam jurisdictionem extendere in ipsas fidelium conscientias & eorum fidei dominari, (quod nec ipsi Apostoli Christi voluerunt unquam sibi arrogare 2 Cor:1,24.) dum illis prohibet non tantum *docere* & *prædicare*, sed etiam *sentire*, *aliter* quam ipsi visum fuit.

73. Id quoq; valde absurdum quod hoc mandat *omnibus Christi*

fidelibus

fidelibus utriusq; sexus, quasi solos Hermaphroditos, hi enim soli sunt *utriusq; sexus*, vellet hac suâ definitione constringere: Nec tamen id tam malè, cùm non nesciat verè Viros nunquã hoc capistrum suscepturos. Si tamen id debeat intelligi discretè de fidelibus non *utriusq;*, sed cujuscunq; *sexus*, etiam supponit Innocentius fas esse sequiori sexui *docere & prædicare*, more hodiernorum Fanaticorum in Anglia & contra expressum Pauli testimonium 1 Cor: XIV, 34. 35. 1 Tim: II, 11. 12. Nam dum prohibet fidelibus cujuscunq; sexus ne aliter doceant ac prædicent, sive mandat ne *sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti* sua *Declaratione & Definitione continetur*, censet illis licitum esse juxta eam docere & prædicare. Frustrà eum prohibeas *aliter* docere & prædicare quam ex hac formula, cui omnimodo docere & prædicare nefas fuerit.

74. Neque contentus Papa hoc generali mandato prohibitivo, (quod pertinet ad stylum ridiculum Curiæ Romanæ, cum Latiniùs dixeris, te prohibere omnibus ne id faciant, quam te mandare omnibus ne id præsumant facere; nam qui mandat, vult rem fieri, qui prohibet, vult eam non fieri;) addit ad ista Præceptionem adhuc insolentiorem, & cui si quæ similis mihi ostendatur per mille annos purioris Christianismi in Ecclesia, agnoscam me justo liberaliùs loquutum dum pertendo eam evidentem characterismum Antichristianismi continere. Sic verò illa habet;

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores & Rebelles quoscunq;, per censuras & pœnas prædictas, cœteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) Auxilio Brachij Sæcularis, omninò coerceant & compescant.

75. Igitur ex Innocentij imaginatione, reliqui omnes Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi &c. debent esse pecora sequacia, & libidinis ac tyrannidis Pontificiæ vilia mancipia, quibus nihil supersit in Regimine Ecclesiæ & judicio Controversiarum fidei præter obsequij gloriam. Reverâ non sic fuit ab initio: Annon summæ est impudentiæ, quod nequidem dignatur Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos reliquos titulo *fratrum*, aut *consacerdotum*, aut *coepiscoporum* suorum, ut olim obtinebat etiam cùm ultra modum crevisset supercilium Papale? An aliis posset censeri relinquere suam dignitatem illibatam, qui illis tam imperiosè præcipit, ut nemo mortalium unquam aggressus sit tam insolenter κατακυριεύειν τῶν κλήρων, contra præscriptum illiusmet Apostoli cujus se falsò & mendaciter jactitat successorem? 1 Pet:v,3. ô quam Innocentius dememinit ejus quod dicebat Gregorius I. *epist. 36. lib. 4.* scribens ad Episcopos Alexandrinum & Antiochenum! *Nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo*, (Episcopi Universalis & Episcoporum) *uti consensit: quia videlicet si unus Patriarcha Vniversalis dicitur, Patriarcharum nomen cœteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere unde fratrum suorum honorem imminuere ex quatulacunque parte videatur.* Sed Gregorius erat Augustinianus & moderatus, Innocens Pelagianus & inflatus.

76. Interim tamen ut nemo erit verorum Patriarcharum quales supersunt in Oriente, Constantinopolitanus, Alexandrinus, *Antiochenus*, Hierosolymitanus, qui multum curabit hoc Edictum Pontificale, sic plures Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinarij, qui hucusque manserunt in communione Romanæ Sedis, meritò indignabuntur se tam serviliter haberi, nec putabunt suà interesse ut executioni curent mandari decretum de fide, aut potius contra fidem, quod sine se, imò & contra se vel suos consacerdotes, tam iniquè & violenter promulgatum fuerit. Quoad ordinarios Carnifices & Tortores Pontificis, *Hæreticæ pravitatis Inquisitores*, ut appellantur, nihil habent juris in Gallia aut Belgio: In Hispania sunt Dominicani ac Thomistæ, adeoque non mali Janseniani, quos contra seipsos sacerrimum hoc officium exercituros, non est verosimile: Igitur Italis solis esset metuendum ab Inquisitione in hac causa; Sed parum illi

tum illi superest virium apud Neapolitanos, Mediolanenses, Venetos, Florentinos, Genuenses, cœterasque Potestates Italicas, ex quo Lucenses potuerunt susque deque habere Urbani VIII. interdictum, cui eos subjicere voluerat. Est Inquisitionis & Papę potestas similis novaculæ, quæ mollia & cedentia facilè secat; sed ubi minimùm resistentiæ reperit obtunditur.

77. Reperiet ergo proculdubio hæc Innocentij *Constitutio*, *Contradictores & Rebelles*, non tantum inter Protestantes & Reformatos, qui eam publicè mecum execrantur, sed etiam inter ipsos Catholico-Romanos, qui fidem norunt esse persuadendam non imperandam: nemoque erit eorum, qui hactenus fuerunt persuasi de veritate Doctrinę Paulinę & Augustinianę, qui Innocentio non dicat in os quod olim scribebat Augustinus *contra Epist. Fund. cap. 14. Si fides mihi imperanda est, magis me teneret illa Scriptura, ubi lego venisse Spiritum Sanctum & Apostolos inspirasse, quibus eum Dominus se missurum promiserat. Quapropter aut ea quæ dicis proba mihi vera esse, ut ostendas quæ non possum credere; aut eum qui dicit proba mihi Spiritum Sanctum esse, ut credam quæ non potes ostendere. Ego namque Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam perventurum præsumo: Tu verò qui fidem meam labefactare conaris, certam scientiam trade si potes, ut id quod credidi, temerè me credidisse convincas.*

78. Et quamvis Papa velit *Contradictores & Rebelles QVOSCVNQVE*, cujuscunque dignitatis & authoritatis fuerint, (vult enim sibi omnia & in omnes licere,) coerceri & compesci, viâ *juris & facti*, ad hanc posteriorem eò proclivior, quod priorem jamdiu calcare desierit, *invocato etiam ad hoc Auxilio Brachij Sæcularis*, (ex Ithacianorum praxi, quam melioribus & ipsi S. Martino displicuisse, author est Sulpitius Severus *lib. 2. Hist. Eccl.*) quasi Principes & Magistratus debeant esse Tortores & Lictores Pontificis, qui in suos subditos ad illius nutum sæviant, & omnia cædibus & sanguine misceant ad ejus decreta, ut-ut iniquissima, constabilienda; Attamen juxta nostras in priori parte Conjecturas, non videmus Jansenitis multum esse metuendum à Brachio sæculari, modò viros se præstent & Romanas *censuras* ac comminationes cordatè floccifaciant, illud repu-tantes, *Vana sine viribus ira.* Diu quidem est quod tentarunt Jesuitæ

gladios Regum in eorum cervices acuere, & optarunt conjungi posse fulmina suo tonitrui, & enses carnificum censuris Papalibus; Sed non ita proclives sunt hodie Principes Christiani ad sanguinis effusionem propter quæstiones & controversias Theologicas, ut quicquam gratificaturi hac in parte videantur hostibus professis Gratiæ divinæ.

79. Tandem concludit his verbis Innocentius, quę facilè est agnoscere ex postfacto inserta, ad majorem contumeliam Janseniani Augustini;

Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones quę continentur in prædicto libro Cornelij Jansenij.

At si nullatenus *alias opiniones* illius libri vult approbare, cur non rotundo ore profitetur se illas damnare & improbare? An quemadmodum Bellarminus præter Concilia *reprobata* & *approbata*, media quædam facit neutrius ordinis; ita inter *opiniones* Jansenij, præter quinque superiùs enotatas, quæ omninò sunt reprobatæ, reliquæ debent manere *ἀσήμοι*, & mediæ conditionis ac veluti in Purgatorio laborantes inter Paradisum & Infernum, ut nec *ullatenus* approbatæ à sua Sanctitate, nec formaliter reprobatæ, ut quinque priores censeantur? An etiam ita vitiosæ aut scabrosæ sunt Innocentio *alia opiniones* Jansenij, ut in illis οὐδὲν ὑγιὲς reperiat, quod suo calculo approbare possit?

80. Sed dicam quod res est: Intererat causę Jesuitico-Pelagianæ illum librum quo jure quâ injuriâ supprimi. Omnia tamen sigillatim enotare quæ in eo odissent Jesuitæ, nimis in se periculosum, & Silicernio Innocentio, qui Theologus non est, nimis tædiosum fuisset. Igitur Speciminis ergo illas quinque Propositiones selegerunt, quâ fide visum antea, quę expressè damnarentur, & ut Scorpij nocentius venenum dicitur esse in illius cauda, ita voluerunt ut in cauda hujus *Constitutionis* maximè se exereret Pelagianum virus, uni-

versali

versali condemnatione totius libri optimi & solidè conscripti, quod illum κατὰ πόδα refutare nemo posset Molinistarum, quin aperto marte in ipsum S. Augustinũ ac multos Papas celebriores insurgeret. Nam omninò improbat Pontifex quod non *intendit ullatenus approbare*; Damnatus est, quem non absoluit. Quanquam certum sit adhuc nescire Innocentium quænam sint illæ *aliæ opiniones quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij*, quas non vult *ullatenus* approbare. Sed idem facit cum eo Parocho qui cum plures accepisset schedas continentes varia nomina ab Episcopo submissa publicè Excommunicandorum, & eas inseruisset rimulæ quæ erat ad suum suggestum unde non valuit postea illas extrahere, contentus fuit dicere in communi, se eos omnes excommunicare qui erant in illo foramine.

81. Aliàs sane hominis illius, cui tantopere *cordi est* Salus Ecclesiæ & Errorum periculosorum repurgatio, fuisset illas *ALIAS opiniones* Jansenij præcavendas, sigillatim commemorare, quomodo signantur infames scopuli in mari, ne nautę per imprudentiam in illos impingant. Et quò credamus id omne *Datum* per suos *Datarios* ab Innocentio non Pietati & Veritati, sed suorum Jesuitarum favori, imò furori, ita clauditur bellula hæc Constitutio;

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicę Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junij, Pontificatus Nostri Anno Nono. Hi. Datarius. *G. Gualterius. P. Ciampinus.*

Additurque actus Publicationis in hæc verba;

Anno à Nativitate D.N. JESU *Christi Millesimo sexcentesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D.* INNOCENTII *Divina Providentia Papæ x. Anno ejus Nono, die verò nona mensis Junij, supradicta Constitutio affixa & publicata fuit in Ecclesia Lateran. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ*

valvis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Mascellam, Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

•Pro D. Mag. Cursorum. P. Paulus Desiderius Cursor.

82. Quænam sit illa *Sancta Maria Major*, *apud* quam Innocentius hanc fabam cudit in Jansenitas, nolumus inquirere: Illa videtur summopere promovisse causam Jesuitarum, qui Mariani imò Marrani malunt esse quam Christiani: Sed tamen contra mentem illius minoris Mariæ quę sibi gratulabatur Luc: 1, 48. quod Deus respexisset ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Non debuit quoque fieri mentio anni *Incarnationis Dominicæ*, in ea *Constitutione* quæ penitùs evertit & gratiam Domini, & finem propter quem in carnem venisse dicitur, ut vocaret, non justos, Pelagianos ac Pharisæos turgentes opinione suæ perfectionis & justitię, sed peccatores ad resipiscentiam. Quid porrò sit *acies Campi Floræ*, ubi *affixa & publicata fuit supradicta Constitutio*, nisi quod æquum sit in campo Florę quondam Romæ nobilis & florentis scorti, ut pueris notum, explicari *aciem* Veneris Romanę, sive potius Babylonicę Meretricis; Cujum pecus sit Hi. *Datarius*, quem potius Accipitrem dixeris ex usu Romano; vel *Hieronymus Mascella*, sanè à Stridonensi Hieronymo planè diversus; Quodnam munus sit in Ecclesia Christi & ubi institutum & ad quam Hierarchię partem spectans officium istud vel *Datarij* vel *Cursoris Sanctissimi D.N. Papæ*, cùm Apostoli olim nec Apostolos, nec multo minus *Cursores* habuerint; Quid discriminis sit inter Principem Apostolorum *de Vrbe* & de campis, nisi illius fiat hîc mentio quod omnis ille imaginarius Principatus Papę intra Urbis Romæ pomœria debeat porrò contineri; nam *Si authoritas quæritur, Orbis major est Vrbe*, inquit Hieronymus; Illi possunt explicare qui ἔγνωσαν τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ Apoc: 11, 24. Hæc Mysteria Mysterij Iniquitatis tam parum capio, aut cupio scire, quam penitùs intelligo hac Innocentij *Constitutione*, Hæresim Pelagianam constabiliri, & Orthodoxam veritatem Pauli, Augustini, Jansenij, tyrannicè, nequiter, sycophanticè, juxta ordinarium agendi modum Antichristi Romani, rejici & condemnari.

PARS

PARS TERTIA;

Quâ doctrinæ Ianſenianæ in Propoſitionibus damnatis à Pontifice Orthodoxia & Veritas demonſtratur.

VIſum antea quid damnaverit Pontifex in Janſenio, & quomodo in illa damnatione proceſſerit; Supereſt, quò fidem exſolvamus, ut paucis Veritatem & Orthodoxiam damnatarum Propoſitionum, ex Dei Verbo & Catholica Antiquitate adſtruamus, quò ſic *Impietatis* & *Hæreſeôs* Crimen omne ab Innocentio impactum Innocentibus Viris, in Judicis iſtius iniqui caput recidat. Primùm itaque quæritur, *An aliqua Dei præcepta, hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſint impoſſibilia, ac deſit quoque illis Gratia quâ poſſibilia fiant?* Negant Pontifex & Jeſuitæ; Affirmant Auguſtinus, Janſenius & Janſenitæ, firmiſſimis nixi argumentis.

2. Nam ſi omnia Dei mandata eſſent fidelibus & juſtis *poſſibilia*, eſſet quoque illis poſſibile carere in hac vita omni peccato; cùm in illum nulla cadat *ἀνομία*, id eſt nullum peccatum, qui Legi in ſingulis ſatisfecerit; Jam verò nullus viator tam juſtus in hac vita dari poteſt, qui careat omni peccato, nec quotidiè debeat dicere, non *humiliter* tantum, ſed etiam *veraciter*, ut poſt Concilium dictum Milevitanum *can.7. & 8.* agnoſcit Tridentinum *ſeſſ.6. de Iuſtif. cap.11. Dimitte nobis debita noſtra.* Et ita denſa ſunt Scripturę Sacrę teſtimonia quę probant neminem abſque peccato vivere, ut id nec ipſa impudentia negare auſit. *Non eſt* enim *homo qui non peccet*, inquit Salomon 1 Reg: VIII, 46. Et Chriſtus ad Judæos, *Nonne Moſes dedit vobis Legem, & tamen nemo ex vobis præſtat Legem* Joh:VII, 19. Et Jacobus III, 2. *In multis impingimus omnes*; Qui autem *impegerit in uno damnas eſt omnium* Jac:II, 10. Quare *ſi dixerimus nos peccatum non habere nos ipſos fallimus & veritas non eſt in nobis* 1 Joh:1, 8.

3. Ex illo autem ultimo loco, jam olim contra Pelagium con-

clusit Concilium vulgò Milevitanum dictum, *can.6.* ut habet lemma illi Canoni prefixum à Carranza *in summa Concil. Quod juxta sententiam Iohannis Euangelistæ nemo sit qui esse possit sine peccato.* Dico id Concilium vulgò Milevitanum dici, cùm potius Carthaginense dicendum esse contra Baronium demonstraverit satis accuratè Jansenius *de Hæresi Pelagiana, lib.1.* Favet verò illi Jansenianæ crisi, quod *in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ*, quem Latino-Græcum edidit Justellus Lutetiæ anno 1615. *Canoni 108.* hæc verba præfigantur illis contra Pelagianos octo Canonibus, qui vulgo Milevitani dicuntur, *Concilium contra hæresim Pelagij & Cœlestij. Gloriosissimis Imperatoribus, Honorio XII. & Theodosio Coss. Kalend. Majas, Cartagine in Secretario Basilicæ Fausti, cum Aurelius Episcopum in Vniversali Concilio consedisset*, (Milevitanum autem fuit particulare Numidię) *adstantibus Diaconis, placuit omnibus Episcopis, quorum nomina & subscriptiones indita sunt, in sancta Synodo Cartaginensis Ecclesiæ constitutis, Vt quicunque dixerit Adam primum hominem mortalem factum* &c. Videantur quoque ejusdem Justelli tum *Præfatio pag.31*, tum *Notæ pag.84. & 115.* Hujus etiam Concilij Carthaginensis, contra Pelagium & Celestium habiti Carthagine, Aurelio & Dotiano præsidibus, οἷς ξυνήδρευον ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν ἄνδρες διαπρέποντες ἱερωσύνῃ τὸν ἀριθμὸν ϛκε, *quibus assederunt variis è Provinciis Sacerdotio Præstantes Viri, numero* CCXXV. meminit Photius *in Myriobiblo cap. 52.* & refert breviter illa ipsa capita octo, quę vulgò Milevitana statuuntur.

4. Sed præterea, si quis posset in statu hoc imperfectionis 1 Cor: XIII,9.10.11.12. perfectè & accuratè implere omnia Dei mandata, is nec mortem quæ *stipendium est peccati* Rom:VI,23. amplius subire teneretur, & ex operibus Legis deberet justificari: *Non enim qui audiunt Legem justi sunt apud Deum, sed qui præstant Legem justificabuntur* Rom: II, 13. At verò ut *omnibus hominibus constitutum est semel mori* Heb:IX,27. ita certum est neminem unquam posse ex Lege justificari, ut dictum à Davide Psal:CXLIII,2. *Non justificabitur coram te ullus vivens.* Quin remanent *sub exsecratione Legis* Gal:III,10. *quotquot* ex illa justificari volunt: Et *si per Legem est justitia, Christus sine causa mortuus est* Gal: II, 21. Imò τὸ ἀδύνατον Legis hac in parte, quod *infirma sit in carne*, conceptis verbis docet Apostolus Rom: VIII, 3.

Act:XIII,38.39. Et quis Pharisaicè gloriabitur se in illud Dei mandatum, *Non concupisces*, nunquam impingere, aut Deum *ex toto suo corde* diligere, quin ab illo suo corde clanculum mendacij redarguatur? Quanto meliùs ipse David, Vir aliàs secundum cor Dei, Psal:XIX, 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Quasi dicat*, (inquit *ad eum Psal.* ipse Bellarminus) *Servus tuus cavet à peccatis, Legem tuam servando, non omninò, sed quantum patitur humana fragilitas.*

5. Nullus sanè actus perfectior Charitatis in hac vita potest elici eo quem Martyres testantur: Attamen, ut nihil de eo dicam quod etiam tum suos patiuntur manes & cum propriæ suæ carnis infirmitate debent luctari, unde Petro prædicit Christus Joh: XXI, 18. 19. eum cingendum *ab alio* & ducendum *quo nollet*, significando *quâ morte esset glorificaturus Deum*, ipse Toletus Jesuitici ordinis & Cardinalis E. R. *ad cap. 10. Ioh.* comparationem instituens inter mortem Christi & Martyrum, notat quod *homines*, etiam Martyres, *potiùs pro se moriuntur quam pro aliis, quia plus sibi pro sunt quam aliis*; eoq; refert quod *Aristoteles Gentilis docuit, qui pro amico moritur, plus amare se quam amicum, quia sibi bonum honestum comparat, amico autem vitam temporalem pro cujus defensione vitam exponit.* Unde sequeretur nequidem martyres ipsos moriendo actum elicere perfectę charitatis erga suos proximos, siquidem seipsos magis quam illos diligunt contra Dei Legem.

6. Quod si justis *volentibus & conantibus* esse absque peccato, *Gratia* adest quâ *possibilia* sunt illis *omnia* Dei mandata, alterutrum erit ponendum; aut neminem esse justorum qui velit & conetur; aut dari aliquem ex volentibus & conantibus, qui sit absque peccato; aut nemini mortalium in hac vita dari gratiam ad eam perfectionis mensuram, ut possit, etiam ubi vult & conatur, omnia Dei mandata servare & implere: Prius dici non potest: *Quis enim Christianorum*, inquit Hieronymus *ad Ctesiph. non vult esse sine peccato? Aut quis perfectionem recusat si sufficit ei velle?* Secundum quoque asseri non debet ab homine qui homines noverit. *Quamobrem*, inquit idem Hieronymus *ibid. & gravissimus Poeta Flaccus scripsit in Satyra, Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est Qui minimis urgetur.* Quare tertium omninò est retinendum; Deo sic dispensante nobis suam gratiam, ut nemo

nostrorum sit qui ex peccatorum suorum quotidianorum conscientia, non debeat dicere cum Bernardo *serm. 23. in Cant. Non peccare Dei est; Hominis vero Iustitia, Indulgentia Dei.*

7. Ut quid possibilis fingetur hæc justorum volentium & conantium ἀναμαρτησία Pelagiana, cùm Apostolus doceat Gal:v,17. ex pugna & oppositione carnis & Spiritus in illis evenire, *ut non quæcumque velint, faciant?* Ad quem locum habet Cornelius à Lapide Jesuita, id ipsum quod Innocentius hîc damnat in Jansenitis. *Velletis enim*, inquit, *non concupiscere, non sentire motus iræ, gulæ, libidinis, iis non impediri à prompta & perfecta charitate, temperantia, castitate, oratione; & tamen hoc non facitis, nec facere in hac vita potestis. Rursum multa heroica virtutum opera fervidè & alacriter facere velletis, sed sæpè non potestis, quia resistit nimis & reluctatur caro. Pulchrè Anselm. Concupiscentiæ non permittunt vos implere quod vultis, nolite & vos eis permittere implere quod ipsæ volunt, & ita nec vos nec illæ facietis quod vultis. Quamvis ergo concupiscentiæ fiant in vobis, non tamen perficiuntur, quia eis non consentitis, sic & quamvis bona spiritus opera fiant non perficiuntur, quia sine dolore, lucta & resistentia concupiscentiæ, plenè, hilariter & perfectè, ea facere non potestis. Hæc & plura Ansel.*

8. Nec est quod extra ipsummet Paulum Apostolum, hujus veritatis illustre & irrefragabile quæramus testimonium. Dubium non est quin is inter justos volentes & conantes, eâ Gratiæ mensurâ præditus fuerit, quâ major in neminem alium queat cadere: Neq; tamen ei possibile fuit in hac vita mortali, omnia Dei præcepta penitùs explere, eamquę assequi perfectionen quam anhelabat. Non proferam nunc illum in carne sua σκολόπα cujus meminit 2 Cor:XII, 7.8.9. de quo *ter Dominum rogavit ut discederet à se*; idque solum responsi tulit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur*; quod Bellarminus *lib. de Monach. cap. 30.* motus authoritate Theophylacti & aliorum, refert ad *Veneris incitamenta* quibus Apostolus *maximè urgebatur*: eaque enata, ut placet Hugoni Cardinali, ex familiaritate pulchræ Virginis Sanctæ Theclę quam à se baptizatam circumducebat: Nolim enim cum Joanne à Gorcum Breviatore Commentariorum Estij & Cornelij in Pauli Epistolas, hos *turpes ac bestiales motus libidinis*, à quibus se expedire non potuerit,

tribuere

tribuere tanto Apoſtolo, quem continentiæ dono præditum conſtat ex 1 Cor:VII,7. Et omninò putem iſtum *Pauli Palum*, de quo legenda prolixa *Diatriba* D. Vechneri, eſſe reſtringendum ad aliquam vexam forinſecùs ſibi illatam, Deo ſic diſpenſante ad humilitatis exercitium, ex ſenſu propriæ infirmitatis.

9. Sed ex Apoſtolo proferam ipſiusmet de ſeipſo querelam, ut legitur Rom: VII, paſſim, ſed præſertim ad hanc rem com. 15.16. 18. 19. ubi fuſè profitetur, ſe non id agere *quod vult*, ſed quod odit & non vult id facere; *velle* adeſſe ſibi, ſed *ut quod bonum eſt* efficiat non aſſequi; non ſe facere *bonum* quod vult, ſed *malum* quod non vult: Et poſtea com. 21. & ſeqq. ita loquitur; *Invenio igitur volenti mihi facere bonum hanc legem impoſitam eſſe quod mihi malum adjaceat; Delector enim lege Dei quod ad interiorem hominem, ſed cerno aliam legem in membris meis, belligerantem adverſus legem mentis meæ & captivum reddentem me legi peccati quæ eſt in membris meis. Ærumnoſus ego homo quis me eripiet ex iſto corpore mortis?* Annon hîc ſatis Apoſtolus prodit ſuam impotentiam ad id bonum præſtandum, quod tamen & volebat & conabatur facere? Vidit ante nos contra Pelagianos hoc argumentum, ipſe Hieronymus *ad Cteſiph. Quid gloriatur terra & cinis? Præſertim cum de iisdem Apoſtolus dicat, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & ducentem me in captivitatem: Et iterum, Non enim quod volo hoc ago, ſed quod nolo id operor: Si quod non vult operatur, quomodo ſtare poteſt, hoc quod dicitur, Poſſe hominem ſine peccato eſſe ſi velit? Qua ratione poteſt eſſe quod velit, cum Apoſtolus aſſerat, ſe quod cupiat implere non poſſe?*

10. Imò quo magis hîc Jeſuitas cum ſuo Hyperaſpiſta Pontifice ſuffundam pudore, haud pigebit referre, quod habet Tirinus Jeſuita *ad 7. Rom. Auguſtinus & Hieronymus, cum S. Hilario, Nazianzeno, Ambroſio, (quos citat Auguſtinus) dicit S. Paulum de ſeipſo loqui, & in perſona hominis juſti, q.d. Ego jam liber à lege & ſub gratia conſtitutus, & tot privilegiis à Deo dotatus, tantos tamen Concupiſcentiæ ſtimulos atque incitamenta in malum ſentio, ut inſtar ſervi emptitij ſæpiùs COGAR illi parere, illiusq; motus & impetus velim nolim ſuſtinere. Ita etiam explicant S. Gregorius, Anſelmus, Primaſius, S. Thomas, Sasbout, Pererius, à Lapide, Menochius & plures alij.* Negare vero peccatum eſſe, illam concupiſ-

 centiam,

centiam, & peccaminoſos, culpabiles ac vitioſos Legique Dei contrarios, ejus impetus & motus quoſcunq;, quid aliud eſt quam in os obloqui ipſi Paulo dicenti ibidem, com.9. *Neſciebam Concupiſcentiam eſſe peccatum niſi lex dixiſſet, Non concupiſces?*

11. Et quis niſi ipſâ Impudentiâ impudentior, dixerit non eſſe peccatum, quod Paulus tam expreſſè *peccatum* & *malum* vocat, & dicit eſſe *legem membrorum* oppoſitam Legi Dei, & oſtendit ipſo Dei Præcepto expreſſo conceptis verbis prohibitum eſſe & damnatum? Quis niſi ipſâ ſtultitiâ ſtultior aſſeruerit, id non eſſe turpe & vitioſum ac legi æternæ contrarium, quod & *eſſe ex peccato & in peccatum inclinare* ipſummet fatetur Concilium Tridentinum? Et cùm in confeſſo ſit apud Adverſarios, omnes Concupiſcentiæ motus, etiam primo primos, damnabiles ac vitioſos eſſe & Legi Divinæ contrarios in Catechumenis, quo jure tales ex rei natura negabuntur eſſe in baptizatis, ut fit à Becano *q.3. de Pecc. Orig.* cùm Baptiſma non poſſit facere ex peccato non peccatum, neq; rerum mutet eſſentias? Quanto ſatius fuiſſet agnoviſſe cum Auguſtino *lib.1. de nupt. & concup. cap.25.* concupiſcentiam carnis remitti in Baptiſmo *non ut non ſit, ſed ut non imputetur in peccatum*, eamque *tranſire reatu* ſed *manere actu*, eſſeque ex rei natura exoſam ipſi Deo, qui nihil odit præter peccatum, ut fatente eodem Becano *ibid.* docet idem Auguſtinus *lib.6. in Iul. cap.5. & 8. & in Pſal.35.*

12. Necquicquam verò dixeris illos Concupiſcentiæ motus & impetus peccatis non eſſe annumerandos, ideo quod *involuntarij* ſtatuantur; Nam neque *plenè voluntarium & deliberatum*, eſt de eſſentia peccati, ut patet in peccato originali, cui infantes ſunt obnoxij ab utero, & quod Pelagiani non alio impugnabant ariete, quam quod voluntarium non eſſet: Multa peccare homines ex infirmitate, ignorantia & ſubreptione, nec ipſi Jeſuitę debent inficiari: Et ad peccati conſtitutionem, ſola ſufficit ἀνομία finitore Johanne 1 Joh: III, 4. ideſt Legis transgreſſio, ſive carentia rectitudinis debitæ ineſſe ex Legis præſcripto. Neque omni modo ſunt *involuntarij* illi Concupiſcentiæ motus inordinati; Sunt enim quædam appetitiones & volitiones mentis humanæ, quæ ſaltem aliqua delectatione titillant voluntatem, ac *velleitatum* nomine poſſunt exprimi, & tamdiu

ſunt

voluntariæ; quamdiu per Spiritus resistentiam melioremque voluntatis sanctificatæ motum non coercentur & supprimuntur. Quapropter etiam Jacobus 1, 14. 15. Concupiscentiam trahentem, inescantem, concipientem, non opponit simpliciter peccato, quasi illa peccatum non foret, sed ei duntaxat opponit ut peccatum intus cœptum, peccato quod opere externo consummatur, quodq; mali corvi malum ovum, ut est in Adagio, dici potest. Quare Bellarminus ipse, quamvis hîc non per omnia rectè sentiat, *lib. 1. de amiss. gr. & statu pecc. cap 9.* ex ista oppositione Concupiscentiæ ad peccatum colligere conatur distinctionem peccati venialis & mortalis; quod argumentum non procederet, nisi etiam Concupiscentia ipsa peccatum foret, saltem veniale.

13. Sed quid opus pluribus? Cùm enim neminem nobis possint dare Jesuitæ, qui non impegerit in plurimis, quamdiu hanc vitam mortalem & ærumnosam vixit, adeoque qui omnia Dei mandata citra lapsum servaverit, quid ineptius quam id fingere omnibus fidelibus & justis possibile, quod ab ullo unquam præstitum fuisse nequeant ostendere, imò quod à nemine unquam præstitum fuisse debent agnoscere? Annon in eos quadrat Censura quam in ipsorum Patriarchas, scilicet Pelagianos, strinxit olim Hieronymus *in epist. ad Ctesiph. Egregij Doctores, dicunt esse posse, quod nunquam fuisse demonstrant:* Item, *Quæ est ista argumentatio, posse esse quod nunquam fuerit? Posse fieri, quod nullum fecisse testeris? Id cuilibet tribuere, qui an futurus sit ignores, & dare nescio cui quod in Patriarchis & Apostolis fuisse nequeas approbare?* Item, *Facilia dicis Dei esse mandata, & tamen nullum proferre potes, qui universa compleverit.*

14. Sanè ipsimet Judæi, ut-ut Pharisaico typho turgidi, hîc possint ipsos Jesuitas dare in ruborem. Nam Menasseh Ben Israel *in tract. de frag. hum.* statim ab initio *§. 1.* sumit sibi demonstrandum, *authoritate sacrarum literarum, quod proprium sit homini peccare, quodque nemo sit qui non peccet:* Citat ad eam rem loca sequentia, Psal: LI, 7. CXLIII, 2. Eccl: VII, 20. Prov: XX, 9. Job: XIV, 1. XV, 15. Profert inter alia ex R. Aha, *Etiam piis & virtute excellentibus, impossibile esse, nunquam in aliquod peccatum incurrisse;* Ex Aben Ezra, *Non potest fieri quin peccet homo nonnunquam, vel mente, vel verbis, vel factis.* Ex R. Levi

Ben

Ben Gerson, *Certè impossibile est ut homo per suam imperfectionem, sit innocens & justus.* Et tandem concludit, *quod non solum nemo sit qui non peccat, verum etiam quod impossibile sit non incidere in peccatum per errorem aut sponte.* Et §. 2. vult probare *ex S. literis & Veteribus Sapientibus esse peccatum quod committitur per errorem, licet non sit spontaneum.* Et §. 8. ostendit *etiam illos peccasse de quorum perfectione loquitur Scriptura.*

16. Quod si justis conantibus & volentibus possibilia sunt omnia Dei mandata, cur quæso Bellarminus *lib. 5. de Iustif. cap. 7.* inquirens *quatenus fiducia in meritis collocari possit*, hoc nobis, imò sibi, fixit axioma, *propositione 3. Propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ, tutissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere*; quo etiam respectu hanc ipse clausulam adhibuit in suo Testamento; *Et precor me inter Sanctos & Electos suos, non ut æstimator meriti, sed ut veniæ largitor admittat.* An illi incerta foret propria sua justitia, qui *secundum præsentes quas habet vires* omnia Dei mandata servasset, & impegisset in nullo? Non subscriberet censuræ Innocentii, Bernardus qui *lib. de grat. & lib. arb.* dicit, *necesse habere etiam qui perfectiores in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere, In multis offendimus omnes, & Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est.* Non subscriberet Petrus de Alliaco Cameracensis Episcopus, & suo tempore Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, qui in *libro de septem grad. Scalæ Pœnit.* quem habeo manuscriptum, ita loquitur; *Intrent in judicium cum Domino, qui justitiam suam jactantes de ea præsumunt; quibus per Prophetam dicit Dominus, Quid vultis mecum judicio contendere, omnes dereliquistis me: Non sic ego, sed justitiam meam coram te nullam esse reputo; nam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; Quia etsi apud te quis suo justificetur judicio, tamen omnis homo in hoc corpore mortali vivens non justificabitur in conspectu tuo, quoniam occulta & interiora hominis vides, in quibus nemo planè justus aut mundus est tuo judicio, quantumlibet Sanctus hominibus videatur: Ideo ait Paulus, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Non subscriberet Adrianus de Trajecto, postea Pontifex Maximus, cujus verba *in 4 sent.* ita refert Cassander *in Consult. art. 6. Sunt merita nostra veluti baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit confringit, perforat manum, & quasi pannus menstruatæ*

sunt

ſunt omnes juſtitiæ noſtra: Iugiter igitur ſuper pannum bonæ vitæ quem juſtitiæ operibus teximus, ſtillamus ſaniem diverſorum criminum. Quæ igitur ex eis poterit eſſe fiducia ad Deum?

16. Nec dubium poteſt eſſe cuiquam tantiſper verſato in hiſtoria veteri, hanc ipſam Innocentianam & Jeſuiticam aſſertionem, de omnium Dei mandatorum poſſibili præſtatione in hac vita, purum putum Pelagianiſmum continere. Poſſem id mille teſtimoniis ex Auguſtino deſumptis comprobare. Sed quia B. Auguſtinus, Sedi Romanæ meritò exoſus, ut pote Afer, qui ei interfuit & ſubſcripſit Concilio quo *tranſmarinæ* appellationes ſunt prohibitæ, ut videre eſt in Cod.Can. Eccl.Afr. can.125. in hac inſuper cauſa Janſeniana reus eſt & damnatus, uno nitar Hieronymo qui fuit Presbyter Eccleſiæ Romanæ, ex cujus una *epiſtola ad Cteſiph.* ne quid dicam de *libris tribus* ejuſdem *contra Pelag.* hæc veritas liquidò poteſt demonſtrari: Nam primò dicit Pelagium cum ſuis ἀπαθείαν & ἀναμαρτησίαν docuiſſe, ideſt poſſe hominem in hac vita eò pervenire, ut nec affectuum motus vitioſos patiatur, nec peccati ullius reatum contrahat: quam ſententiam *ab initio* ſuperbiæ & temeritatis arguit, quâ *major* eſſe nequeat *quam Dei ſibi, non dicam ſimilitudinem, ſed æqualitatem vendicare, & brevi ſententia, omnium hæreticorum venena complecti, quæ de Philoſophorum, & maximè Pythagoræ & Zenonis Principis Stoicorum, fonte manarunt.* Id ipſum quod dico, improbatum fuiſſe ab Hieronymo in Pelagianis, agnoſcit ipſe Lorinus Jeſuita *ad Iac:III,2.* quod comprobat non tantum *Canone 6.* Concilij Milevitani, de quo antea, ſed etiam *Canone 6. Seſſ.6.* Concilij Tridentini, *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, Anathema ſit.* Quomodo ex iſto Anathemate Tridentino ſe queant expedire Innocentius & Jeſuitæ viderint ipſi.

17. Secundò Hieronymus docet Pelagianos, ut hodiernum Innocentium, ſtatuiſſe juſtis volentibus & conantibus Gratiam adeſſe quâ poſſent ſi vellent niti ad culmen impeccantiæ & perfectionis: *Aſſeris*, inquit, *poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi velit: & poſt graviſſimum ſomnium, ad decipiendas rudes animas, fruſtra conaris adjungere, Non abſque gratia.* Et quam hoc non ſequatur ex juſtorum voluntate,

quia non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei Rom: IX, 16. comprobat ſtatim his verbis: *Quis enim Chriſtianorum non vult eſſe ſine peccato, aut quis perfectionem recuſat, ſi ſufficit ei velle, & ſtatim ſequitur poſſe ſi velle proceſſerit? Nulluſq; Chriſtianorum eſt, qui nolit eſſe ſine peccato; omnes ergo ſine peccato erunt, quia utiq; omnes cupiunt eſſe ſine peccato; Et in hoc ingratus teneberis, ut quia nullum aut rarum quenquam ſine peccato proferre potes, omnes ſine peccato eſſe poſſe fatearis.*

18. Et ne putemus id eſſe diſcriminis inter Innocentianos & Pelagianos, quod hi ſtatuerent poſſe *hominem eſſe ſine peccato ſi velit, non* tamen *abſque Dei gratia*, & illi ſtatuant poſſe eum omnia Dei præcepta cum auxilio Gratię ſervare ſi velit, ne dicam planè ſynonyma eſſe, *omni carere peccato* & *omnia Dei præcepta ſervare*, cùm peccata quęlibet, ſive majora ſive minora, ſint Legis tranſgreſſiones, teſtante Apoſtolo quod ubi Lex non eſt ibi non ſit peccatum Rom: IV, 15. docet tertiò Hieronymus omnem ſibi controverſiam fuiſſe cum Pelagio de poſſibilitate præceptorum Dei. Patet ex eo quod hanc tribuit objectionem Pelagianis; *Soletis & hoc dicere, aut poſſibilia eſſe mandata & rectè à Deo data, aut impoſſibilia, & non in his eſſe culpam qui accepere mandata, ſed in eo qui dedit impoſſibilia*: nec non exinde quod hoc dilemmate urget Pelagium: *Facilia dicis Dei eſſe mandata*, ideſt factu poſſibilia, *& tamen nullum proferre potes qui univerſa compleverit. Reſponde mihi facilia ſunt, an difficilia? Si facilia, profer quis ea impleverit; Si autem difficilia, cur auſus es dicere facilia eſſe Dei mandata quæ nullus impleverit?* Item ex eo quod ſeipſum profert exemplum, iſtius impotentiæ præſtandi Dei mandata; *Ego miſerabilis, qui tuas expecto contumelias, qui illud ſemper lego, Gratiâ ſalvi facti eſtis, & Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata, ut de mea fragilitate loquar, novi me multa velle quæ facienda ſunt & tamen implere* NON POSSE. *Spiritus enim fortitudo ducit ad vitam, ſed carnis fragilitas ducit ad mortem.*

19. Quartò Hieronymus iis telis impugnat Pelagium, quibus etiam Innocentiana & Anti-Janſenitica hæreſis Moliniſtarum funditùs ſubruitur. Nam pugnat ab experientia, tùm poſitivè, Pauli, ſui, omnium ſanctorum; tùm negativè, quod nulli dari poſſint qui fuerint abſque peccato. Congerit item varia loca Scripturæ, quæ

evincunt

evincunt neminem absque peccato vivere, ac omnia Dei mandata implere. *Neque nunc*, inquit, *mihi necesse est ire per singulos Sanctorum, & quasi in corpore pulcherrimo, navos quosdam & maculas commonstrare, quod plerique nostrorum simpliciter faciunt; cùm paucis sententiolis Scripturarum possint hareticorum, & per eos Philosophorum argumenta convinci. Quid enim dicit vas Electionis? Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur.* (*Rom: 11.*) *Et in alio loco, Omnes enim peccaverunt & indigent gloriâ Dei.* (*Rom.3.*) *Ecclesiastes quoq; per quem se cecinit ipsa Sapientia, liberè protestatur & dicit, Non est enim homo justus super terram qui faciat bonum & non peccet:* (*Eccl:7.*) *Et iterum, Si peccaverit populus tuus; non est enim homo qui non peccet:* (*1 Reg: 8.*) *Et quis gloriabitur castum se habere cor? & non est mundus à sorde, nec si unus diei fuerit super terram vita ejus.* (*Prov:20.*) *Vnde & David dicit, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea:* (*Psal50.*) *Et in alio Psalmo, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (*Psal.142.*) *Quod testimonium sub nomine pietatis novâ argumentatione deludunt; Ajunt enim ad comparationem Dei, nullum esse perfectum, quasi Scriptura hoc dixerit. Neq; enim ait, Non justificabitur omnis vivens, sed, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quando enim dicit, in conspectu tuo, hoc intelligi vult, quod etiam qui hominibus Sancti videntur, Dei scientia atq; notitia nequaquam Sancti sint. Homo enim videt in facie, Deus autem in corde. Si autem inspiciente Deo & omnia contemplante quem cordis arcana non fallunt, nullus est justus, perspicuè ostenditur hareticos non hominem in excelsa sustollere, sed Dei potentia derogare.*

20. Urget quoque quod *hac hominibus sola sit perfectio, si imperfectos esse se noverint; Et vos inquit, cum omnia feceritis dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* (*Luc:17.*) *Si inutilis qui fecit omnia, quid de illo dicendum est qui explere non potuit? Vnde & Apostolus ex parte accepisse & ex parte comprehendisse se dicit, & necdum esse perfectum, prateritorumq; oblivisci & in futurum se extendere.* (*1 Cor:13. Phil:3.*) *Qui semper prateritorum obliviscitur & futura desiderat, ostendit se prasentibus non esse contentum.* Id etiam vehementer inculcat, quod cuivis Jesuitarum meritò dixerim; *Tu ipse qui perfectam & Deo aqualem in hominibus justitiam jactitas, & peccatorem te esse confiteris, responde mihi, velis an nolis carere peccato? Si vis, quare juxta sententiam tuam non imples quod desi-*

 deras?

deras? Sin autem non vis, contemptorem te Praeceptorum Dei esse demonstras.

21. Denique eodem modo respondet quo nos solemus Jesuitis, ad objectiones plerasque Pelagij, quas & illi solent adoptare: Ad id *quod sursum deorsum jactitant liberum à nobis arbitrium destrui*; respondet, *Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo rivulo fluit ad fontem refert? An qui dicit, Recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium?* Ad id quod dicitur, *Manichaeorum dogma nos sequi, & eorum qui de diversis naturis Ecclesiae bella concinnant, asserentium malam esse naturam quae immutari nullo modo possit*; respondet in haec verba; *Hoc non mihi, sed Apostolo imputa, qui novit aliud esse Deum, aliud esse hominem: Aliam carnis fragilitatem, aliam Spiritus fortitudinem. Caro enim desiderat contra Spiritum, & Spiritus contra carnem, & haec invicem sibi adversantur, ut non quae volumus, ipsa faciamus: (Gal:5.) A me nunquam audies malam esse naturam. Sed quomodo sit carnis fragilitas differenda, ipso qui scripsit docente discamus. Interroga eum quare dixerit, Non enim quod volo, hoc operor; sed quod odi malum illud facio. Quae necessitas illius impediat voluntatem, quae tanta vis odio digna imperet facere, ut non quod vult, sed quod odit & non vult facere compellatur? &c.*

22. Sic ad ἔνστασιν ex eo desumptam, *quod in Scripturis sanctis multi justi appellantur, ut Zacharias & Helizabeth, Iob, Iosaphat & Iosias, & multi quorum nominibus Sacra Scriptura contexta est*, respondet uno verbo, *quod justi appellentur non quod omni vitio careant, sed quod majori parte virtutum commendentur.* Sic cavillo inde desumpto quod *possibilia mandata dedit Deus*, opponit illud Paulinum; *Quod erat impossibile Legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato condemnavit peccatum in carne.* (Rom:8.) *Et iterum, Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* (Rom:3.) *Quod ne de Lege Moysi dictum tantum putes,* (idest de Lege Caeremoniali) *& non de omnibus mandatis, quae uno Legis nomine continentur, idem Apostolus scribit dicens, Consentio enim Legi, juxta interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meae & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Adeoque Hieronymus illam impossibilitatem praestandi totam Dei Legem, quę olim possibilis & facilis fuerat homini integro, non aliunde arcessit quam ex ea corruptione, cui per peccatum sumus obnoxij; & quae adjacens Paulo,

ut *ibid.*

ut *ibid.* urget, hæc illi verba extorquebat; *Scimus enim quod Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato; Quod enim operor non cognoſco; Non enim quod volo illud operor, ſed quod odi illud facio. &c.*

23. Ne tamen ſolius Hieronymi authoritate videar hîc Pelagianiſmi convincere definitionem Innocentij, quod & in promptu colligere foret ex libro *de Geſtis Pelagij cap.6. & ſeqq.* adjiciam Decreta Conciliorum in hac cauſa celebratorum: Concilij Arauſicani II. hic eſt *Canon 10. Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono poſſint opere perdurare.* At iſta jugi imploratione auxilij Divini opus non erit fidelibus juſtis, ſi *ſecundum præſentes quas habent vires*, ut definit Innocentius, omnia Dei Præcepta ſunt illis *poſſibilia*, adeſtque ſemper *Gratia*, quâ poſſibilia fiunt. Concilij quoque quod Milevitanum dicitur, tribus *Canonibus* expreſſis, nempe 6.7. & 8. illa ἀναμαρτησία ſive impeccantia Pelagiana, Anathemate percellitur; nam *Can.6.* definitur *quod juxta ſententiam Ioannis Euangeliſtæ, nemo ſit qui eſſe poſſit ſine peccato; Can. 7. quod unicuiq; etiam juſto dicere oporteat, Dimitte nobis debita noſtra;* Et *Can.8. quod à ſanctis veraciter dicitur, Dimitte nobis debita noſtra.* Probaturum autem Concilium, *Can.7.* ſanctos quoſlibet ita precari debere *pro ſeipſis*, non demum *pro aliis*, ſic loquitur; *Sanctus enim & juſtus erat Iacobus Apoſtolus, cum dicebat, In multis enim offendimus omnes: Nam quare additum eſt, omnes, niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſalmo ubi legitur, Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnia vivens? Et in oratione ſapientiſſimi Salomonis, Non eſt homo qui non peccet. Et in libro Iob, In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. Vnde etiam Daniel ſanctus & juſtus, cum in oratione pluraliter diceret, Peccavimus, iniquitatem fecimus &c. quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis ſed de populi potius ſui dixiſſe peccatis, poſtea dixit, Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei, Domino Deo noſtro; noluit dicere peccata noſtra, ſed populi ſui dixit & ſua, quia futuros iſtos qui tam malè intelligunt tanquam Propheta prævidit.* Addimus his Concilijs authoritatem Bernardi, *ſerm. 50. in Cant.* ubi agnoſcit quod mandatum de Deo diligendo, *minimè in vita iſta ab aliquo*

hominum possit vel poterit adimpleri. Huic concinit Thomas *2. 2. q. 44. art. 6.* ubi fatetur hoc idem præceptum *de Dei dilectione*, non posse *perfectè* impleri in hac vita.

24. Igitur cùm audimus fideles & pios ornari titulo justorum & sanctorum etiam in hac vita, non est putandum eos sic vocari *Legaliter* & κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον, ab observatione accurata omnium Præceptorum Dei, quæ tam parum est possibilis ulli in hac vita, quam juxta Catholicam doctrinam etiam justissimis & sanctissimis impossibile est esse absque peccato; Sed justi dicuntur partim *Euangelicè*, ex ea justitia quæ non tam in virtutum perfectione quam in remissione peccatorum per sanguinem Christi sita est; *Tunc justi sumus quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia*, inquit Hieronymus *lib. 1. adv. Pelag.* Partim κατ' ἐπιείκειαν Misericordiæ divinæ, suorum nævos & peccata dissimulantis & paternè condonantis, quatenus non vult ea *agnoscere*, sed mavult *ignoscere*, ut loquitur Augustinus *in Psal. 31.* Nam ut idem habet *lib. 1. Retract. cap. 19. Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur:* Partim *inchoatè* à studio & conatu quo gementes sub imperfectionum & peccatorum suorum onere, semper tendunt plus ultra & anhelant perfectionem, non tantum partium sed etiam graduum, licet hanc nonnisi in cœlo sint consequuturi: In isto autem studio & conatu etsi desunt vires est tamen laudanda voluntas: *In magnis voluisse sat est.* Partim denique *comparativè* ad improbos, peccato serviliter mancipatos vel addictos; sive, ut loquebatur suprà Hieronymus, *non quod omni vitio careant, sed quod majori parte virtutum commendentur.*

25. Hinc etiam eorum, quorum synceritas & zelus in Dei cultu promovendo ita commendatur, ut dicantur Domino adhæsisse *ex toto suo corde*, quod Davidi & Josiæ nominatim tribuitur, nævi & peccata recensentur in Scripturis, ne omnimodam præceptorum Dei præstationem illis in hac vita tribuamus. Etsi Paulus nullius rei sibi *conscius* esset 1 Cor: IV, 4. quoad muneris sibi demandati officium, non tamen fidebat propriæ suæ justitiæ Phil: III, 8. 9. aut se in nullo impingere statuebat. Quam non posset è contrario omnia præstare quæ Lege Dei præscribuntur, suprà visum est. Et qui possibili-

tatem absolutam Præceptorum Dei inde vellet adstruere quod *omnia sint possibilia credenti* Marc: IX, 23. & Paulus profiteatur *se omnia posse per eum qui se corroborat, nempe Christum* Phil: IV, 13. revera argumentaretur vitiosè, *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*; cùm extensione vitiosâ illius Syncategorematis, *omnia*, pari jure posset justos & fideles ex utroque hoc loco *Omnipotentes* adstruere: Neutro sanè loco agitur de possibilitate Legis; sed priori, de beneficiorum quorundam externorum per Omnipotentiam Dei consequutione; posteriori, de crucis & ærumnarum tolerantia ex præsentis gratię auxilio quo Christus reddit suis *jugum* suum leve & *suave* Matt: XI, 30.

26. Ac prout nullâ ratione favet Pelagianismo vel Novo vel Veteri, jugi Christi suavitas, cùm à suavitate doctrinæ Euangelicæ, nobis justitiam quâ caremus & remissionem peccatorum in Christo offerentis, ad possibilitatem Legis, non procedat argumentum; ita perperam eò protuleris dictum I Joh: V, 3. *Mandata ejus non sunt gravia*: Nam licet piis & regenitis, sint Dei præcepta eousque suavia & jucunda, ut cum Paulo *quoad hominem interiorem delectentur Lege Dei* Rom: VII, 22. non tamen per id ipsis eximitur *lex membrorum belligerans adversus Legem mentis, & eos captivans Legi peccati*, sub qua idem Apostolus gemebat ibid. 23. Sic & dicuntur qui nati sunt ex Deo *non peccare* I Joh: III, 6.9. non quod nulli subsint peccato, sed quod ejus subducti imperio non ambulent secundum carnem, sed usque & usque cum illius reliquiis decertent & colluctentur; quanquam in ea lucta non ita semper prædominetur Spiritus, quin Caro vel sanctissimos, in aliquam culpam subinde præcipitet.

27. Nec tamen frustrà proponuntur nobis Dei Præcepta, etsi nemo omnia quæ mandantur, ἀκριβῶς præstare possit: Nam primò Lex considerat hominem, non qualis evasit suâ culpâ, sed qualis deberet permansisse ex officio: Possibilis enim simpliciter fuisset homini integro nec prolapso in peccatum: Quare ut creditor non excidit suo jure etsi debitor suâ culpâ, quod æs alienum in popinis & lustris decoxerit, non sit amplius solvendo; ita Deus jus habet exigendi ab hominibus quod sibi debent, etsi solvendo non sint. Nemo Jesuita ausit dicere Deum injustè vel tyrannicè agere cum impijs, à quibus exigit obedientiam Legi suę debitam, & quos

punit

punit ob eam non præstitam, etsi juxta præsentes quas habent vires non sint illis possibilia Præcepta Legis, nec adsit gratia indebita, quâ possibilia fiant. Ipsemet Bellarminus agnoscit *lib. 2. de grat. & lib arb. cap. 4. non posse Deum injustitiæ accusari si non daret omnibus auxilium sufficiens ad salutem*; & *cap. 6. auxilium Dei necessarium ad conversionem non adesse peccatoribus omnibus momentis*: Non tamen desinunt peccatores obligari ad Legem Dei observandam omnibus momentis, etiam cum non adest auxilium sufficiens quo illam impleant: Quare Deus potest semper justè exigere id ad quod præstandum homo semper tenetur, etiamsi secundum præsentes vires, id præstare non possit.

28. Præterea illa ipsa quæ non possunt præstari à fidelibus, ab ipsis tamen exiguntur Dei Lege, ut inde suam miseriam meliùs cognoscant, & ita ad humilitatem formentur, discantq; niti coram Deo non propriâ justitiâ, multifariàm imperfectâ, sed unius Christi satisfactione & obedientiâ; & jugi studio & conamine contra proprias infirmitates indesinenter anhelent eam perfectionem quæ demum obtinget in cœlo, ubi Ecclesia Sole erit vestita & Lunam habebit sub pedibus suis. Laudatur ipsi Bellarmino *lib. 1. de Verbo Dei cap. 3.* hoc dictum Augustini, *Utilitas Legis est ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam quæ in Christo est implorare compellat; epist. 200.* Quod si objicias, Hieronymum ipsum *adv. Pelag. lib. 1.* fateri *possibilia* Deum præcepisse, quò se expediret ex vehementiori instantia Pelagij, hoc modo expressa; *Aut possibilia Deus mandata dedit, aut impossibilia. Si possibilia, in nostra potestate est ea facere si velimus: Si impossibilia, nec in hoc rei sumus si non facimus quod implere non possumus:* Respondebo eam præceptorũ Dei possibilitatem adstruere Hieronymũ, quę nullo modo faveat Innocentij & Jesuitarum Pelagianismo: Nam præcepta ita facit possibilia in communi & distributivè, ut tamen statuat non esse omnia simul & collectivè possibilia singulis justis & fidelibus: *Hæc possibilia cuncta*, inquit, *singuli habere non possumus; non imbecillitate naturæ*, qualis videlicet fuit creata, *ne calumniam facias Deo, sed animi lassitudine, qui cunctas simul & semper nõ potest habere virtutes*; prout *Deus dedit humano generi possibiles omnes artes*, quas tamen omnes simul nemo potest callere; *cum eloquentissimus Orator de rhetorica & juris scientia disputans dixerit, Pauci unum possunt, utrumq; nemo. Vides ergo*

quod

quod Deus possibile jusserit, & tamen id quod possibile est, per naturam nullum posse complere. Dedit itaque præcepta diversa virtutesq; diversas, quas omnes simul habere non possumus.

29. Quanquam nihil fuisset periculi Hieronymo negare absolutè, vel possibilia esse nunc homini Dei mandata post peccatum, vel eos reatu carere qui non faciunt quod tenentur, etsi id, vitio suo, implere non possint: Quare neq; ipsum Bernardum puduit hanc impossibilitatem rotundo ore profiteri, *serm.50. in Cant. Nec latuit Præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso sua illos insufficientia admoneri & ut scirent sanè ad quem justitiæ finem niti viribus oporteret. Ergo mandando IMPOSSIBILIA non prævaricatores homines fecit, sed humiles; ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum & sentientes defectum clamabimus in cœlum, & miserebitur nostri Deus; & sciemus in illa die quia non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Et certè cùm ipsi Jesuitæ fateri cogantur ex decreto Concilij Tridentini suprà relato, neminem quantumlibet justificatum *posse in tota vita, peccata omnia, etiam venialia, vitare*, debent omninò confiteri neminem justum posse semper omnia Dei mandata exsequi & servare; cùm hæc duo sint planè æquipollentia & ejusdem significationis, Peccata nulla committere & Præcepta Dei omnia observare.

30. Nec est quod tandem confugiant ad distinctionem peccati mortalis & venialis, ut hoc statuant conciliabile cum præstatione Legis, illud non: Nam præterea quod illam distinctionem nescit Scriptura, cui *stipendium peccati mors* Rom: VI, 23. eamque sensu hodiernorum rejecerunt Johannes Gerson *3. p. Theol. tract. de Vita Spirituali animæ, lect.1.* & Jacobus Almain *tract.3. cap.20.* & Joannes Episcopus Roffensis *in refut. art.32. Lutheri*, ut agnoscit Bellarminus *lib. 1. de amiss. grat. & statu pecc. cap. 4.* debent necessariò culpæ quæ veniales dicuntur, vel Legis transgressionibus accenseri, vel dispungi ex censu peccatorum. Et cùm variè se fatigent Scholastici circa hanc quæstionem, unde sit desumenda diversitas peccati mortalis & venialis, saniores tamen consentiunt etiam veniale esse *contra Præceptum*, hoc inter alia argumento, quod urget etiam Puteanus

ex ordine Augustinianorum *in 1. 2. q. 88. art. 1. dubit. 3. Vel peccatum veniale est prohibitum praecepto aliquo, vel non; Si secundum, illud nulla ratione erit peccatum in genere moris; Si primum, habetur intentum.* Hæc eò fusiùs fuerunt pro prima Jansenij Propositione disputanda contra Innocentium quò plures pendent ex ea salutares veritates, & Papa usus est atrocioribus verbis in illa proscribenda & condemnanda.

31. Ut ad secundam & quartam simul transeamus, nam eodem spectant, Quæritur *An interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur?* Negat Innocentius in Jesuitarum gratiam, adeo ut per damnationem Propositionis quartę, nullam videatur *gratiam* admittere, nisi *talem* cum Semipelagianis *cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.* Affirmant Augustinus, Jansenius & Jansenitæ; quos loqui de Gratia Christi medicinali & actuali, extra dubium omne est collocandum: Ideo in quæstione fit mentio *naturæ lapsæ*, ut intelligatur *auxilium quo*, contradistinctè ab *auxilio sine quo non*, quod in statu naturæ integræ, libero arbitrio hominis quadantenus subjiciebatur. Ad illam thesim comprobandam, non deducam Adversarios ad absurdum ex suis placitis, quod dum statuunt non resisti unquam Gratiæ *efficaci*, ut à *sufficienti* eam contradistingui volunt, sáltem largiuntur, quod alicui gratiæ interiori nunquam resistitur. Non dicam quoque Pontificem definiendo in eo Semipelagianos non fuisse hæreticos, quod *talem* demum gratiam agnoscerent *cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare*, omnem Christi gratiam medicinalem faciat resistibilem, & ita distinctionem suorum inter gratiam *sufficientem* & *efficacem* penitus subruat. Sed veritatis causam agam directè, & Gratię medicinalis quæ est in Christo, ex Scripturis & Antiquitate irresistibilitatem sic demonstrabo, ut hæreseôs nota, quam Augustino & Jansenio voluit Innocentius inurere, recidat in ipsum & suos Jesuitas.

32. Itaque vel inde liquet gratiam infallibiliter & insuperabiliter agere, quod *de nolente* faciat *volentem*, (ut suo loco ostendimus, ex Augustino agnovisse Clementem VIII. P. R. *supra p. 1. §. 28.*) idest non pendeat ex voluntate, sed in ipsam voluntatem agat & operetur eamque sibi subjiciat: Etenim Deus per illam in suis operatur *&*

velle

velle & perficere Phil: II, 13. Sic eos *trahit*, ut *currant* Cant: I, 4. Sic *allicit* Japhetum, *ut habitet in tentoriis* Semi Gen: IX, 27. Sic invitat ad nuptias, ut *compellat intrare* Luc: XIV, 23. Sic renovat, ut ablato corde *lapideo* indat *carneum* Ezech: XXXVI, 26. Sic vocat, ut Dei *Legem indat menti* suorum & *inscribat* eorum *cordi* Jer: XXXI, 33. Sic docet, ut *quicunque* per eam *audivit à Patre & didicit veniat* ad Christum Joh: VI, 45. Sic suadet, ut persuadeat. Quare Augustinus *lib. 1. de grat. advers. Pelag. & Celest. cap. 10.* ita loqiutur de hac gratia; *Istam gratiam Pelagius fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur Sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur: Non enim omnium est fides qui audiunt per Scripturas Dominum Regnum Cœlorum pollicentem, aut omnibus persuadetur, quibus suadetur ut veniant ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis; Quorum autem sit fides & quibus persuadetur ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait, Nemo venit ad me nisi Pater qui me misit traxerit eum. Et paullò post, cum de non credentibus loqueretur, Dixi, inquit, vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri,* (& cum Pelagio hodiernus Innocentius Jesuitarum Pelagianorum Hyperaspistes) *si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.*

33. Præterea vel gratia Dei debet determinare voluntatem hominis, ejusque resistentiam omnem superare, & rebelliones *omnes curare* Hos: XIV, 5. vel omnis gratiæ effectus salutaris venit suspendendus ex humana voluntate eam recipiente & admittente: Sed hoc posterius nullo modo statui potest, contra Apostolum dicentem Rom: IX, 16. *Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis*, & 1 Cor: IV, 7. *Quis te discernit? & quid habet quod non acceperis?* Et tunc, quod volebant Semipelagiani, initium fidei non gratiæ Dei eam producenti, sed voluntati hominis, gratiam, quam potuisset rejicere, admittenti, veniet adscribendum; dixerit licet Jeremias XXXI, 18. & Thren: V, 21. *Converte nos & convertemur.* Sed præsertim cùm omnis gratia medicinalis fluat ex Dei Prædestinatione gratuita, quæ inde non tantum Augustino, sed etiam Lombardo, ut aliàs retulimus, definitur *gratiæ præparatio*, debet necessariò infallibiliter & insuperabiliter operari; siquidem frustrari nequit Dei Consilium, &

ipsomet Bellarmino fatente *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. infallibilia media* sunt quibus Electi *in vitam diriguntur æternam.*

34. Quid quod eam Deus exerit efficaciam in hac sua gratia, quâ *pro efficacitate fortis roboris sui* Eph: 1, 19. *opus fidei in nobis potenter complet* 2 Thess: 1, 11. & *divinâ* suâ *vi omnia nobis donat quæ ad vitam & pietatem pertinent* 2 Pet: 1, 3. Ad hanc autem efficacissimam & potentissimam Dei Gratiam convertentem, hominem se habere merè passivè & obedientialiter, vel inde liquet quod peccatoris conversio, *Creatio*, *Regeneratio*, *à mortuis suscitatio*, *vivificatio*, *potens insitio*, dicitur in Scripturis. Quod si efficacia gratiæ à voluntate humana eam admittente vel respuente penderet, sanè plus esset in conversione peccatoris tribuendum hominis arbitrio quam ipsi Deo; & hominem suæ fortunę & salutis æternæ fabrum oporteret statuere. Nec difficile erit hanc gratiæ medicinalis efficaciam perpetuam, ex Antiquitate quoque & testimoniis eorum quos Roma Catholicos negare nequit, præter Augustinum, comprobare. Nam primò id fuit discriminis inter Orthodoxos & Pelagianos quod hi voluntati Gratiam, illi Gratiæ voluntatem subjicerent. Quare in Concilio Chartaginensi omnium Afrorum, quod Milevitanum vulgò dicitur *can. 4.* anathemate percelluntur Pelagiani statuentes per Gratiam Dei scire nos quid facere debeamus, *non autem per illam nobis præstari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus:* Si autem Dei gratia imprimit voluntati dilectionem boni, necesse est ut in eam agat irresistibiliter.

35. Ita quoque in Concilio Arausicano II. adversus Pelagij reliquias celebrato, definitur *can. 3. ipsam gratiam facere* ut Deus *invocetur à nobis*; & *can. 4.* non *voluntatem nostram Deum expectare* ut à peccato purgemur, sed *per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri ut purgari velimus*; & *can. 5. inspirationem Spiritus Sancti corrigere voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem*; & *can. 6.* per eandem *ut credamus* & *velimus in nobis fieri*; & *can. 7.* eâdem dari *omnibus* piis, *suavitatem in consentiendo & credendo veritati*; & *can. 9. Divini* esse *muneris cùm rectè cogitamus*; & *can. 20. nulla* fieri ab homine *bona*, *quæ non Deus præstet ut faciat homo*; & *can 23. quando* homines *ita faciunt quod volunt ut divinæ serviant voluntati*, *quamvis volentes*

agunt

agunt quod agunt, illius tamen voluntatem esse *à quo & præparatur & jubetur quod volunt.* Hæc autem omnia satis ostendunt non determinari Gratiam à voluntate hominis, sed hominis voluntatem flecti & determinari à Gratia; quod dicere, est Gratiæ perpetuam efficaciam & irresistibilitatem adstruere.

36. Plura eodem spectantia possunt proferri ex *Epistola Synodica* Episcoporum Afrorum in Sardinia exulum, quam ipse Jesuita Sirmondus in lucem emisit cum libris tribus Fulgentij *de Veritate Prædestinationis & Gratiæ. Hoc in homine,* inquiunt, *agit gratia divinitùs data ut animus dono fidei caritatisq; percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat.* Item, *Necesse est ut* (Gratia) *ab eis quibus non tribuitur ignoretur, & ab eis agnoscatur, quibus divinâ largitate donatur.* Item, *Iubet Deus homini ut velit, sed Dominus in homine operatur & velle; jubet ut faciat, sed operatur & facere.* B. Fulgentius similiter *lib. 1. de Verit. Prædestinationis* statuit, *ipsius gratiæ opus esse in homine ut gratia suscipiatur ab homine, quæ non ad aliud divinitùs datur nisi ut bonam voluntatem in homine primitùs operetur;* Et paullò post; *Ista* (inquit) *gratia quam Deus vasis misericordiæ gratis donat, ab illuminatione cordis incipit, & hominis voluntatem non bonam invenit ipsa sed facit: atque ut eligatur ipsa priùs eligit; neq; suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergo & susceptio & desiderium gratiæ, opus ipsius est gratiæ.* Item, *Hoc igitur agit gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum, ut ex insipientibus sapientes faciat, infidelibus fidem tribuat, errantes ad vitam non solum vocet, sed etiam à pravis desideriis revocet.* Item *lib. 2. Deo non placemus nisi velimus, sed ab ipso nobis tribuitur ut velimus: à quo nisi voluntas hominis mutetur ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam benè appetit bonum.*

37. Hanc eandem efficaciam Gratię agnoscit ipse Bellarminus *lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12.* iisque verbis quæ nullam exceptionem patiuntur; *Verba illa Domini Ioh: 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me, satis perspicuè docent, in quo sita sit efficacitas Gratiæ; Illi enim infallibiliter veniunt ad fidem Christi, sive per fidem ad Christum, qui Patrem cœlestem habent Doctorem &c. Vide Augustinum tractantem hunc locum lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8. Alius locus est 1 Cor: 4. Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti; &c. Nam si vera esset opinio isto-*

rum, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humanæ voluntatis, adeoq; illam resistibilem faciunt, *fidelem ab infideli planè discerneret liberum arbitrium: Nam duo sint qui eundem concionatorem audiant & eandem interiùs inspirationem habeant, & unus credat alter non credat, nonne dicere poterit is qui credidit, se discerni ab infideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem acceperit, quam alter rejecit? Nonne gloriari poterit contra infidelem quod ipse Dei gratia cooperatus sit, quam ipse contempsit? Et tamen Apostolus hoc omninò prohibet, & ideo non solum posse credere, sed etiam ipsum credere dicit esse donum Dei Phil: 1. & Deum operari in nobis, non solum ut possimus velle, sed etiam ut velimus Phil: 2.*

38. *Denique hæc opinio*, scilicet Molinæ quę hodie canonizatur à Papa, *evertit omninò* (inquit *ibid.* Bellarminus) *fundamentum Prædestinationis Divinæ, quam S. Augustinus ex divinis literis solidissimè comprobavit: Inde enim pendet certitudo, atq; infallibilitas Prædestinationis, quod Electis Deus efficacem gratiam præparavit; Quos enim prædestinavit, hos vocavit, vocatione illâ, ut Augustinus monet in lib. de corrept. & grat. cap.7. quæ est secundum propositum, de qua dictum est, Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quos autem vocavit secundum propositum, hos justificavit, justificatione videlicet secundum propositum* (nec reverà alia datur) *quæ adjunctam habet Perseverantiam usq; ad finem. Quod si vocatio efficax non penderet à proposito Dei, sed ab humana voluntate*, gratiam admittente quam respuere poterat, *nullus locus Prædestinationi relinqueretur, sed tantum Præscientiæ*, (imò neque huic, cùm nequidem præsciri possit an gratiam voluntas sit admissura, vel rejectura, si manet indifferens ad utrumque, & agit independenter à Deo.) *neque Apostolus dixisset, Ut secundum Electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei quia major serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui Rom. 9.*

39. Dices, restitisse Judæos Christo vocanti Matt: XXIII, 37. ipsiq; Spiritui Sancto Act: VII, 51. & frustratum fuisse Deum fructus ex ista vinea expectantem, in qua excolenda nihil omiserat Es: V, 4. Sed quæ sunt gratiæ extrinsecùs oblatę, quò spectant hæc testimonia, non debent extendi ad gratiam interiorem, non solum illuminantem theoreticè, sed practicè persuadentem; Nam de hac loqui Jansenium & Jansenitas, imò hanc solam Gratiæ interioris nomine

ab ipsis

ab ipsis insigniri, est certissimum. Nec ideo non agit irresistibiliter quod multi ex infirmitate carnis non illicò obsequantur internis inspirationibus Gratiæ & Spiritus Sancti: nam satis est ad illius irresistibilitatem, quod nequeat hòmo impedire quo minus illę pię suggestiones & inspirationes in mente sua per Gratiam Dei salutarem excitentur, sic ut illę non pendeant ex voluntatis suæ cooperatione & consensu. Et sic possumus plus boni facere quam facimus, quatenus illa Gratia quâ sumus donati ad plura potest extendi, in iis qui nec sine illa eam student ἀναζωπυρεῖν 2 Tim: 1, 6. ut tamen nec absolutè in hac via possimus esse absque peccato, & nonnisi per illam & ex illa fiat quicquid boni facimus vel cogitamus 2 Cor: III, 5.

40. Dices item Pontificem forte non censere quod omni gratiæ interiori resisti possit, sic ut eam vel admittere vel respuere sit arbitrij humani, sed tantum, quod detur etiam quædam gratia interior *inefficax*, & cui resistitur, adeoque admittendam distinctionem inter gratiam *Sufficientem* & semper resistibilem & *Efficacem* cui nunquam resistatur; Sed qui non vult pro hæresi haberi sententiam Semipelagianorum, non aliam agnoscentium gratiam, nisi *talem cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*, ac si hoc non fuerit damnatum in Semipelagianis, contra quam visum suprà ex Concilio Arausicano II. sed tantum quod fidei initium sibi non gratiæ adscriberent, is proculdubio vult cum Molina statuere, resisti posse omni gratiæ interiori, eamque suam efficacitatem ex consensu & admissione voluntatis consequi. Tum gratię sufficientis chimera, quam Semipelagianorum esse inventum fusè docuit Jansenius, huc trahi non potest. Nam si Innocentius aliquam gratiam interiorem facit resistibilem per voluntatis dissensum, debet eandem agnoscere admissibilem per ultroneum consensum voluntatis: At prætensa Gratia Sufficiens nunquam est admissibilis per liberum arbitrium, cùm nullum effectum possit habere salutarem nisi ei superaddatur auxilium efficax quo fiat ut velimus, & eo ipso revera insufficiens dici debet. Adeoque non potest Gratia Sufficiens contradistinctè ab Efficaci, hîc à Pontifice intelligi; siquidem illi quamdiu sola manet, nihil aliud possit quam resisti ab humana voluntate, ut revera in confesso est apud pudentiores, neminem unquam per illam

illam solam vel antea conversum fuisse, vel postea conversum iri; nec alio fine proponi à suis Patronis, quam ad Dei justitiam tuendam in puniendis improbis, quamvis illi sufficienter aliundè prospici possit, cùm ipse Bellarminus fateatur & sumat probandum *cap. 4. lib. 2. de grat. & lib. arb. non posse Deum injustitiæ accusari etsi non daret omnibus auxilium sufficiens ad salutem.*

41. Nec revera Gratia medicinalis ordinatur à Deo ad peccatorum inexcusabilitatem, sed ad eorum salutem, quam nisi de facto operetur, *aut divina scientia fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adversitate* (id est resistentiâ) *qualibet superatur*, ut loquitur Fulgentius *lib. 3. de Verit. Prædest.* Quorum tamen neutrum statui potest, *sicut nullus potest ejus vincere voluntatem*, ut idem loquitur; *quia*, ut est in Psalmo, *quæcunq; voluit fecit.* Mitto quæ in imaginariam illam Gratiam *sufficientem*, quam insuper universalissimam faciunt, possent ulteriùs dici, si de ea foret nùnc disputandum. Repugnat ea Sacræ Scripturæ, quæ testatur nec fidem omnium esse 2 Thess: III, 2. nec omnibus datum nosse mysteria regni cœlorum Matt: XI, 25. XIII, 11. & spirare Dei Spiritum ubi vult Joh: III, 8. Repugnat antiquitati Catholicæ, quę contra Pelagium & Pelagij reliquias constanter asserit *gratiam Dei non omnibus dari*, apud Augustinum *epist. 107.* & Fulgentium non semel *lib. 1. de Verit. Prædest.* imò *de gratia non dignè sentire quisquis putat eam omnibus hominibus dari*, *in Epist. Synod. Afr. Episc in Sardinia exulum.* Repugnat ipsimet essentię Gratię, quæ si fuerit universalis, & singulis debita ex ordine Justitię Divinę, ut volunt Jesuitæ, eo ipso Gratia esse desinet; Nam Gratia debet imitari naturam Privilegij, quod si universale vel debitum fuerit, non amplius Privilegium erit.

42. Sed cùm Innocentius ex professo hoc monstrum non adoptet, etsi in ejus & liberi arbitrij gratiam, irresistibilitatem & efficaciam Gratiæ interioris duplici censurâ notaverit, ab illo ulcere manum abstinebo, transiturus ad tertiam quæstionem; *An ad benè & laudabiliter, vel malè & culpabiliter, agendum in statu naturæ lapsæ, requiratur in homine libertas à necessitate, nec sufficiat libertas à coactione?* Abstineo in statu quæstionis formando à vocibus

cibus *merendi* & *demerendi*, quæ occurrunt in Propositione Janseniana quam rejicit Innocentius, cùm agnoscam meritum pœnæ quod demeritum appellant in omni peccato, negem præmij meritum propriè dictum in ullo bono opere nostro, quòd Deus non nostra merita sed sua dona, & non ex operum nostrorum dignitate, sed ex paterna sua dignatione, velit coronare. Sed cùm hæc controversia de bonorum operum meritis aliò spectet, præstat lubricam voculam missam facere, & præsentem quæstionem ad illas quas proposui lineas revocare. In qua perperam ac vitiosè affirmativam suam facit Innocentius cum Jesuitis, obstante Scripturâ, Ratione, ac Catholica Antiquitate; quod paucis demonstrandum.

43. Scripturam quod attinet, ea mille in locis impotentiam benè agendi tribuit homini irregenito, gratiâ Christi & fide in ipsum destituto. Ita Jerem:XIII,23. *An mutare potest æthiops cutem suam, aut pardus liventes maculas suas? etiam vos possetis benè facere edocti malefacere.* Ita Christus Matt:VII,18. *Non potest arbor bona fructus malos ferre, neq; arbor mala fructus bonos.* Ita idem Joh:XV,5. *Sine me*, vel *Seorsim à me*, *nihil potestis facere.* Ita Paulus Rom:VIII,7. *Quod sapit caro inimicitia est adversus Deum, Legi enim Dei non subjicitur, nam ne potest quidem.* Et Rom:XIV,23. *Quicquid* fit sine *fide peccatum est.* Et Heb:XI,6. *Absque fide impossibile est placere Deo*; & 1 Cor:II,14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei; sunt enim ei stultitia, neq; ea potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur*; & 2 Cor: III, 5. *Non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis.* Jam autem agnoscunt pueri ex parvis logicalibus id necesse esse fieri, quod non fieri impossibile est: quapropter tam necesse est hominem irregenitum peccare ac demereri, quam impossibile est eum boni quicquam agere fide salvificâ & Christi gratiâ destitutum: quod hæc testimonia probant evidenter. Imò Cornelius à Lapide agnoscit ex dicto Pauli Rom:XIV,23. esse qui colligant *omnia omnium infidelium opera esse peccata*; & *admittunt*, inquit, *illationem hanc nonnulli Doctores Scholastici, ut Gregorius Ariminensis, Capreolus, Catharinus.*

44. Si quis occulto Dei judicio excœcatus sit & induratus, nihil aliud poterit quam peccare: & tamdiu necesse est eum peccare, quamdiu in eo statu excœcationis & indurationis remanserit. Et

quî possunt adversarij impossibile statuere ulli, etiam justificato, carere omni peccato in hac vita, ut suo loco visum est, quin aliquam peccandi ac demerendi necessitatem, sic agnoscant incumbere homini in statu naturæ lapsæ, ut necdum penitùs ab ea ipsi justi & sancti in hac vita sint liberati? Ipsa quoque efficax Irresistibilitas Gratiæ quam antea demonstravimus, necessariam facit conversionem peccatoris, licet summopere voluntariam, siquidem ex nolentibus reddit volentes. Et cùm Scriptura opponit τὸ ἑκούσιον, idest spontaneum & liberum, τῇ ἀνάγκῃ, ut Philem: 14. 1 Pet:v,2. non alia necessitas intelligitur quam coactionis: juxta ipsam V.V. quæ apud Petrum τὸ μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως reddit, *non coactè sed spontaneè*; nec aliud sonat locus 1 Cor:vii,37. Taceo plures necessitatis species conciliabiles cum libertate arbitrij; Talis est necessitas officij præstandi; necessitas futuritionis & infallibilitatis eventus, sive hypothetica ex Decreto & præscientia Dei; necessitas existentiæ, ex illo axiomate Metaphysicorum, *Quicquid est dum est necesse est ut sit*; necessitas operationis humanæ, quatenus & voluntas necessariò sequitur judicium ultimum rationis practicæ, ut ipse-met agnoscit Bellarminus *lib.3. de grat. & lib.arb. cap.8.* & necessariò vult tantum quod bonum est, sive δογματικῶς sive ἀληθῶς, & juxta Castanæum *in distinct. ad vocem Necessitas, necessariò expetit summum bonum, nec potest illud respuere.* Sufficit quod potest dari necessitas generica ad bonum vel ad malum, in agente aliàs valde libero, quam respectu Dei necessitatem naturæ, sed quoad Creaturas necessitatem *status* possumus appellare.

45. Ita enim Deus agens liberrimum, necessariò tamen id tantum agit quod bonum est, nec potest mentiri vel seipsum abnegare: Ac ut prætercam Angelos extra peccandi periculum jam constitutos, liberrimam Deo præstare obedientiam, ad cujus imitationem invitamur in Dei Verbo, ipsosque cœlites consecratos qui ita necessariò diligunt Deum, ut tamen liberrimo voluntatis motu in ipsum ferantur; certum est Christum in his terris impeccabilem fuisse; quod ultro fatentur Jesuitæ, ut videre est apud Becanum *cap. 13. de Incarn. quæst.2.* in eo paullò pudentiorem Episcopio Remonstrantium primipilo qui id negat; Christus tamen liberrimè

obedivit

obedivit Deo, & nobis suâ obedientiâ meruit vitam æternam. Et cùm *ibidem* statuat Becanus quod *libertas arbitrij non necessariò requirat facultatem peccandi*, quia *libertas peccandi non pertinet ad perfectionem*, sed ad defectum, dubium non est quin sicut cum libertate arbitrij potuit in Christo consistere peccandi impossibilitas ac necessitas servandi omnia Præcepta sibi imposita, ita possit consistere in verè regenitis, saltem in sensu composito, quædam necessitas non peccandi, peccato regnante aut impœnitentiæ finalis & quod esset ad mortem 1 Joh: III, 9. & in Satana, qui quoties loquitur mendacium *ex propriis* loquitur Joh: VIII, 44. atque in reprobis in quibus operatur cum efficacia, necessitas peccandi, non quidem specifica & ad unum, qualis est naturaliter neque ἐκ προαιρέσεως agentium, sed generica, qualem propugnant Jansenitæ, cum ea libertate quę essentialis est libero arbitrio.

46. Tùm quod Latinis in eo genere *liberum* dicitur, Græcis ἑκούσιον appellatur: Hoc verò denotat spontaneum motum agentis rationalis, ad id quod lubet sese ultrò applicantis: Et cùm in belluis sit imago quædam liberi arbitrij, agnoscente Bellarmino *lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 15.* debet hoc in spontaneitate & incoactione ex proæresi consistere, ut in earum spontaneitate ἐξ ὁρμῆς, sita est illarum *libertas naturalis*, uti dicitur Justiniano *Inst. de rer. divis. §. 12.* Non meretur quidem laudem vel vituperium, quod fit necessariò, vel necessitate coactionis, vel necessitate naturali, quâ res ad unum specificè ex intrinseca sua constitutione est determinata; ut cum aqua tendit deorsum, aut ignis urit; Sed id laude aut vituperio dignum est quod ita fit necessariò ex voluntatis constantia in bono vel malo, ut tamen fiat voluntariè & cum animi lubentia: siquidem ipso Bellarmino judice *lib. 3. de grat. & lib. arbit. cap. 5.* cùm Pius V. & Gregorius XIII. has propositiones damnarunt, *Quod voluntariè fit etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit; Et, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, Pontifices illi non voluerunt docere id quod voluntariè sed necessariò fit, nullo modo liberè fieri.* Quibus verbis agnoscit Bellarminus, posse aliquid fieri *necessariò* certo sensu, quod tamen fit reverâ *voluntariè & liberè.* An vero ad merendum & demerendum in Schola Pontificia major libertas requiri possit eâ quâ actus fit voluntariè, viderint eruditi.

47. Si Antiquitas consulatur ea tota nostra est. Mitto Augustinum, qui non suspectus modò, sed hæreticus & blasphemus est Molinistis: Sed vel ex Hieronymo *ad Ctesiph.* constat, hoc ipsum quod definit Innocentius sibi voluisse Pelagianos: Hæc enim *ibi* erat eorum Objectio. *Si nihil ago absq; Dei auxilio, & per singula opera, ejus est omne quod gessero, ergo non ego qui laboro sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrij potestatem quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit: Destruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero; Ac per hoc ait, Aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium, aut si alterius ope egeo, libertas arbitrij in me destruetur; Qui hæc dicit quam non excedit blasphemiam; quæ hæreticorum venena non superat?* Cùm in Concilio Arausicano II. contra reliquias Pelagij hic *canon. 22.* conditus fuit, *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*, adstructa est necessitas peccandi in singulis, donec *veritatem atq; justitiam* consequantur *ab illo fonte* Gratiæ, *quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis irrorati non deficiamus in via.*

48. Sic in *Epistola Synodica Afr. exul. in Sard.* quam jam ante laudavi, ita legimus: *Ipsa gratia nullatenus agnoscitur, nisi detur; quæ quamdiu non est in homine, tamdiu* NECESSE *est ut ei aut sermone repugnet aut opere: Nam sermone repugnat gratiæ, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium; repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum;* Et paullò post NECESSE *est ut ab eis quibus non tribuitur ignoretur;* (ut fit hodie ab Innocentio & Jesuitis;) *& ab eis agnoscatur quibus divinâ largitate donatur.* Omnes genuini B. Augustini discipuli, agnoscunt cum Augustino, juxta Scripturam Joh: VIII, 34. Rom: VI, 20. 2 Pet: II, 19. arbitrium humanum servum esse peccati donec à Christo liberetur: Ita enim loquitur B. Fulgentius *lib. 1. de Verit. Prædest. Peccans homo totam in se peccato subdidit progeniem quando delinquendo veram perdidit libertatem; à quo enim quis devictus est, ei servus addictus est; & omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Quis autem dubitet necessitatem peccandi hanc servitutem peccati inferre, ut necessitatem parendi infert servitus civilis? Nec ideo tamen minus liberè & ultrò peccat, qui huic servituti mancipatus est. *Liberaliter enim servit, qui Domini sui voluntatem libenter facit;*

ac per

ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est, unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse justitia cœperit servus, inquit Augustinus *Enchir. cap.30.*

49. Bernardus tractatum scripsit *de grat. & lib.arb.* in quo variè adstruit hanc ipsam doctrinam; Nam triplicem facit libertatem; à *necessitate* quam vocat *natura*; à *servitute*, quam dicit *gratia*; à *miseria* quam appellat *gloria*: Sed juxta ipsum illa libertas à necessitate, nihil aliud est quam libertas incoactionis: Nam in eo, inquit, *consensus voluntarius* est *liber*, quod *non cogitur, non extorquetur: Est quippe voluntatis, non necessitatis; Nec negat se, nec præbet cuiquam nisi ex voluntate: Alioqui si compelli valet invitus, violentus est non voluntarius: Vbi autem voluntas non est, nec consensus; non enim est consensus nisi voluntarius: Vbi ergo consensus, ibi voluntas: porrò ubi voluntas, ibi libertas.* Adhæc juxta eundem *libertas à necessitate aquè & indifferenter Deo, universæq; tam mala quam bona rationali convenit Creatura. Nec peccato, nec miseriâ amittitur vel minuitur; nec major in justo est quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine: Quomodo namq; ad bonum conversus per gratiam, humanæ voluntatis consensus, eò liberè bonum, & in bono liberum hominem facit quò voluntarius efficitur non INVITVS pertrahitur; sic SPONTE devolutus in malum, in malo nihilominus TAM LIBERVM QVAM SPONTANEVM constituit, sua utique voluntate ductum, non aliunde COACTVM ut malus sit. Et sicut cœlestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propriâ videlicet voluntate non aliqua extrinsecâ necessitate, sic profectò Diabolus æquè liberè in malum & corruit & persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.*

50. Quis in his non videt libertatem naturæ quam Bernardus vindicat arbitrio, non aliam esse quam libertatem spontaneitatis & incoactionis? Sed ulteriùs pergit in necessitate peccandi, cum illa libertate naturæ conjungenda. *Cecidit solâ voluntate homo in foveam peccati, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere; cum jam etsi velit, non possit non peccare. Quid ergo? periit liberum arbitrium quoniam non potest non peccare? Nequaquam, sed liberum perdidit consilium per quod prius habebat posse non peccare*; Et postea: *Nemo proinde putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur: cum cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere nisi per Domini*

Spiritum. Alioquin, nec Deus nec Angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse & mali, nec prævaricatores item Angeli, cum ita sint mali ut non valeant esse boni, liberi esse dicerentur. Sed & non illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alij bonis, alij malis permixti fuerimus. Cæterum nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria infirmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit VIOLENTA oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, & voluntaria obstinatio. Ecquid quæso magis expressè dici potest ad comprobandum necessitatem quandam benè vel malè agendi in agente voluntario, nihil delibare de libertate arbitrij, sed solam violentiam & coactionem?

51. Hanc verò fuisse constantem mentem Bernardi patet ex aliis ejus verbis quæ extant *Serm. 81. in Cant. Quod surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo, ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, NECESSITATEM facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis, sub onere necessitatis hujus, Domine, inquit, vim patior, responde pro me. Sed rursus sciens quod non justè causaretur adversus Dominum cum voluntas sua potius in causa foret, attende quid secutus intulerit; Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim. Premebar jugo, non alio tamen quam voluntariæ cujusdam servitutis, & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis.*

52. Nec Lombardus Magister sententiarum, qui paullò post Bernardum floruit, aliter sentit aut loquitur: Nam *Dist. 25. lib. 2. lit.* E *Liberum*, inquit, *videtur dici arbitrium quia sine coactione & necessitate* (quæ duo illi synonyma sunt) *valet appetere vel eligere quod ex ratione decreverit.* Et *lit.* F. *Prima libertas arbitrij fuit in qua poterat peccare & non peccare. Ultima erit in qua poterit non peccare, & non poterit*

peccare;

peccare; Media in qua potest peccare & non potest non peccare. Et *lit.* G. *Post peccatum ante reparationem Gratia premitur à concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet Gratiam in bono: Ideo potest peccare & non potest non peccare etiam damnabiliter.* Et *lit.* H. *Liberum arbitrium dicit* Augustinus *hominem amisisse, non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrij perdidit, non quidem omnem, sed libertatem à miseria & peccato. Est namque* (ut subjicit *lit.* I.) *libertas triplex, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate & ante peccatum & post, aquè liberum est arbitrium; Sicut enim tunc* COGI *non poterat, ita nec modò. Ideoq; voluntas meritò apud Deum judicatur qua semper à Necessitate libera est, & nunquam cogi potest: Vbi necessitas,* (scilicet coactionis) *ibi non est libertas nec voluntas, & ideo nec meritum.* Igitur nec *in modo loquendi*, ut vellet Bellarminus *lib.3. de grat. & lib. arb. cap.4.* nec in rei veritate recessit Alphonsus à Castro à veriori & *communi* Antiquitatis sententia, cum dixit *lib. 9. contra Har. ad voc. Libertas; Est libertas qua opponitur necessitati, vel ut verius dicam coactioni.* Et nihil unquam poterit objici pro definitione hac Papali contra Jansenitas, quod ex iis quæ annotavimus statim refutari non possit.

53. Superest igitur ultima quæstio, *An Christus pro omnibus omninò hominibus, an vero pro salute duntaxat Electorum mortuus sit?* Posterius asserit Jansenius cum Augustino, prius Innocentius cum Cœlestio & Fausto, in Molinismi gratiam. Tanti autem est hæc Quæstio, ut ex illius decisione pendeat tota contextura doctrinæ Paulinæ & Augustinianę de Gratia & Prædestinatione. In ea verò decidenda adversari Innocentium non tantum Augustino, sed toti Scripturæ & Antiquitati Orthodoxæ, haud difficile erit demonstrare. Scripturam si audias, ea passim restringit mortem & satisfactionem Christi ad *filios Dei* Joh: xi, 52. *populum* Christi Matt:1,21. *oves* ipsius Joh:x, 11. ejus *amicos* Joh:xv,13. *ecclesiam* Act: xx,28. & *corpus* Eph:v,23. Hinc *mundum* & reprobos formaliter excludit à sua intercessione Joh: xvii, 9. ut nullo jure possit ejus mors & satisfactio ad illos extendi quos *ex nobis* esse negatur 1 Joh:ii,19.

54. Nec sanè Christus mortem pro aliis oppetiit quam pro iis quos sibi Pater dederat redimendos & servandos: Sed neminem ex

illis

illis perire, est certissimum ex Scriptura Joh: x. 27. 28. xvii, 6. Etsi quis perit filius fuit perditionis Joh:xvii,12. adeoq; nec Christo datus servandus & redimendus. Nam particulam exceptivam *nisi* quæ hoc loco occurrit, sæpè sumi pro adversativa *sed*, ipse Emanuel Sà Jesuita annotat in *indice phrasium Scripturæ* ex Matt:xii,39. Joh:v, 19. 1 Cor: vii, 17. ut verè hic illud Boethij obtineat, *Qui cecidit stabili non erat ille gradu.* Pereunt quidem multi qui δοξαστικῶς professione & Sacramento tenus, videbantur redempti à Christo & sanctificati ejus sanguine Heb:x,29. 2 Pet: ii,2. Sed *revera* nunquam ipsius fuerunt; Siquidem nemo perit eorum qui credunt in ipsum & nullum ex ipsius ossibus frangi potest; *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα Rom:xi,29. *Impossibile est*, inquit Origenes ipse *in Ierem. hom.* 1. *quod semel vivificavit Deus ab eodem ipso vel ab alio occidi.* Nititur quod dico armillâ aureâ Pauli Rom:viii,30. de qua ita habet Augustinus *de Prædest. Sanctorum cap.* 17. *Quos Prædestinavit ipsos & vocavit, illâ scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit ipsos & vocavit; nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Nec dubium quin eorum pro quibus Christus mortuus est, vices & personas sustinuerit in cruce, eos Deo Patri reconciliaturus, & pœnas luiturus quæ ipsorum peccatis debebantur, ut liquet ex 2 Cor:v,19. Ut non immeritò dicat Apostolus 2 Cor:v,15. quod si *unus pro omnibus mortuus est, omnes igitur mortui sunt*; idest, censentur apud Deum mortem in Christo & pœnam peccatis suis debitam sustinuisse, adeoque in suo vade & capite satisfecisse plenè justitiæ divinæ, omnes illi pro quibus Christus mortuus est. Aut igitur Deus debet ejusdem debiti duplicem persolutionem exigere, contra id quod lumen naturale dictat Jurisconsultis, *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur ff. de R. I. l.57.* repetendo scilicet iterum ab impiis pœnas suorum peccatorum quas jam dicuntur luisse in Christo, aut pro iis non est credendus Christus satisfecisse & stetisse in cruce qui personaliter in æternum puniuntur.

55. Cùm Christus patiebatur pro nobis, multi jam apud inferos luebant pœnas æternas suorum scelerum. Quis vero sanæ mentis sibi persuaserit etiam eorum nomine Christum passim fuisse, atque

pœnas

pœnas illis debitas; omninò frustrà & citra ullum eorum commodum possibile in se recepisse? Aut quis putabit Christum sanguinem suum pro aliis fudisse, quam pro iis qui erant vocandi secundum propositum, & quibus fidem impetravit & gratiam efficacem ac donum perseverantiæ, sive ut loquar cum Apostolo 2 Pet: 1, 3. *omnia quæ pertinent ad vitam & pietatem*, sine quibus salus obtineri non potest? Si hæc omnia impetravit omnibus & singulis, qui fit quod omnes & singuli fidem, gratiam, perseverantiam, quæ ipsis debentur ex impetratione Christi, non consequuntur in tempore? Imò si Christus destinatus est divinitùs in omnium & singulorum redemtionem, quî fit quod nec gratia nec *fides est omnium* 2 Thess: III, 2. sed illi solum credunt, quomodo credendum est, qui *sunt ordinati ad vitam æternam* Act: XIII, 49. unde fides *electorum* appellatur Tit: 1, 1? *De gratia non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur ad quas fidei prædicatio non pervenit*, inquiunt Episcopi Africani *in Epist. sua Synod. ex Sard. scripta pag. 8.* Adde quod illi qui vocantur extrinsecè ad fidem præconio Euangelij, nec tenentur credere universaliter Christum pro omnibus & singulis esse mortuum; id enim non legitur in Scriptura; nec tenentur simpliciter & absolutè credere Christum pro seipsis esse mortuum, sed tantum conditionaliter, si ex animo resipuerint, & verâ fiduciâ in Christi morte & merito acquieverint: Ab auditoribus Euangelij exigitur fides, ut habet rationem virtutis Theologicæ & assensus adhibendi omni revelationi divinæ; Sed fides ut justificans, quâ quis credit Christum nominatim pro se mortuum & ejus satisfactionem & meritum sibi applicat cum Paulo 1 Tim: 1, 15. 16. producitur in corde singulorum Electorum eâ vocatione quæ est secundum propositum & quâ quisque eorum *fit credens*, ut loquitur Augustinus *cap. 17. de Prædest. sanct.*

56. Adhæc cum Prædestinatio facta sit non ex massa redemptionis per Christum, siquidem reprobabiles non sunt ullâ ratione illi quos Christus redemit & pro quibus fudit suum sanguinem, sed ex massa perditionis per Adamum, in cujus lapsu omnes involuebantur, necesse est decretum de mittendo Christo ad Redemptionem hominum non præcurrere *in signo rationis* Prædestinationis decreto,

sed illi subordinari; ita ut Deus decreverit eum mittere non ad communem Redemptionem Electorum & Reproborum, (cùm jam de his statuisse intelligatur quod eos in massa corruptionis relinquere, & gratiam indebitam quâ pervenitur ad gloriam justè illis denegare vellet;) sed ad specialem eorum salutem quos illi communi miseriæ per gratiam subducere constituerat; unde dicuntur Electi *in Christo* Eph: I, 4. idest per ipsum redimendi, ut patet ex v. 7. Nec posset Christus in die judicij, jure dicere impiis & hypocritis etiam de ipsius nomine gloriantibus & miracula per ipsum facta jactantibus, *Certè nunquam novi vos, discedite à me qui operam datis iniquitati* Matt: VII, 23. si eos non minus quam electos accepisset à Patre redimendos sanguine suo & adducendos ad gloriam.

57. Ultrò largimur Christum *sufficienter* mortuum esse pro omnibus, idest tanti valoris fuisse λύτρον quod dedit pro suis, ut omnibus & singulis redimendis potuisset sufficere, quippe infiniti pretij, si Deo visum fuisset omnibus & singulis illud destinare & applicare: Nec minus debuit esse, etiamsi ex omnibus peccatoribus unicum tantum redemptum Deus voluisset: Sed negamus ex intentione suâ vel Patris illud λύτρον infinitum & quod omnibus potuisset sufficere, datum fuisse pro omnibus; cum non pro hœdis & lupis, sed pro ovibus suis animam suam posuerit, & solius sui corporis Servator sit. Si enim agnoscas decreto Redemptionis per Christum præcurrere decretum Prædestinationis, non potes statuere datum eodem modo hoc λύτρον pro omnibus & singulis; aliter enim spectabit ad Electos quam ad Reprobos: Verum in assignanda differentiæ ratione aqua tibi hærebit: Dices-ne enim pro quibusdam absolutè mortuum esse, pro aliis conditionatè & sub tali conditione, quam nec Deus illis præstare decrevit, nec unquam extituram est certissimum? Si autem velis præpostero ordine Prædestinationis decreto præcurrere decretum Redemptionis, tunc debebis statuere Christum ita universaliter mortuum pro omnibus servandis, si crediderint & conversi fuerint, ut universaliter item pro nullis sit mortuus si impœnitentes & increduli permanserint: & eò devenias insaniæ, cum nonnullis Remonstrantibus, ut dicas Deum Patrem Filium suum morti destinasse sine definito Consilio quemquam nominatim servandi,

& potuisse

& potuisse fieri, per liberum arbitrium respuens Gratiam sufficientem, ut morte Christi nemo omninò servaretur.

58. Quoad ea loca Scripturæ quæ aliquam universalitatem videntur involuere, sufficiat observasse nullum eorum favere illi *superflua taxationi sanguinis Christi*, ut B. Lupo ante 800. annos dicebatur. Nam quædam sunt in quibus vox *Mundi* sumitur non universaliter, sed tantum communiter de genere humano, ut Joh:III,16. sive de Electis Dei toto mundo dispersis ut 2 Cor:v,19. 1 Joh:II,2. quibus opponitur mundus reproborum Joh:XVII,19. Quædam sunt in quibus Salus omnium intelligitur conservationis communis, quæ extenditur etiam ad bestias Psal:XXXVI,10. non redemptionis salutaris, ut 1 Tim:IV,10. Quædam in quibus Syncategorema *Omnes*, de solis Electis & Dei Filiis debet intelligi, ut Joh:XII,32. Rom: VIII, 32. Heb:II,9.10. 2 Pet:III,9. Quædam in quibus sumitur distributivè de generibus singulorum, non collectivè de singulis generum, ut 1 Tim: II, 4. Tit: II, II. Vt mirer virum quem doctum, etiam in *Homiliis* ad populum, nonnulla ex istis testimoniis corrasisse, ut confirmaret magnam consolationem, scilicet, percipere fideles ex Redemptionis universalitate; cum potiùs hoc sit summum eorum solamen, quod hic thesaurus ad se solos, nullo modo ad incredulos & reprobos pertineat.

59. Et cùm Christus mortuus sit pro iis solum quos voluit Pater servari, nec alios velit servari quam suos Electos qui de facto servantur, aliàs non fieret quicquid is vult fieri, cujus voluntati nemo potest resistere, necesse est ut pro solis Electis redimendis mortem oppetierit. Neque sana Theologia potest admittere conceptus eorum qui subtiles sibi videntur, si dicant *bono* reproborum, saltem quorundam, mortuum esse Christum, sed solorum suorum Electorum *loco*; atque priorum respectu se dedisse *impendium* pro illis, aliorum *victimam*. Nam sanè nihil habet juris in morte Christi, qui totam eam cum omnibus ejus fructibus sibi non habet: nec cujusquam *bono* mortuus est, nisi moriendo *loco* illius & pœnas ipsi debitas in se transcribendo: Nec *impendium* aliter se dedit, idest τιμὴν & pretium, pro hominibus, quam se offerendo in *victimam* pro ipsorum peccatis. Si quas gratias *gratis datas*, ut vulgò appellantur extraordinara Cha-

riſmata Spiritus Sancti, conſequuntur interdum reprobi in uſum & ædificationem Eccleſiæ, ut illi quorum fit mentio Matt: VII, 22. non eorum perſonis illas meritus eſt Chriſtus, ſed ſuæ Eccleſiæ, cujus ædificationi per ipſas inſerviunt, quomodo inſervierunt ſaluti Noæ fabri qui ædificarunt Arcam quam ipſi non ſunt ingreſſi. Si qui etiam reprobi illuminantur cognitione theoreticâ veritatis & aliquâ fide temporariâ donantur, unde *intra limitem fidei eſſe videntur*, ut loquitur Gregorius *Moral. lib.28. cap.6.* id non eſt adſcribendum gratiæ medicinali fluenti ex morte Chriſti pro ipſis, ſed Providentiæ communi, vario modo ſua Conſilia circa reprobos exequenti, partim ut frænum aliquod eis injiciat, ne in plura ruant peccata & aggravent ſuum ſupplicium; partim ut eos magis reddat ἀναπολογήτους, quod oblatam Dei fœdere omnibus credentibus ſalutem, verâ fide apprehendere uti par fuerat noluerint; nam licet res credenda ad reprobos non pertineat, eorum tamen incredulitas in ea vel non admittenda uti oportuiſſet, vel penitùs rejicienda, voluntaria eſt, adeoq; & culpabilis.

60. Quòd ſi ad Veteres eamus, nobis eos ὁμοψήφους per omnia reperiemus. In Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio Polycarpi, quæ extat apud Euſebium *lib.4. Hiſt. Eccl. cap.15.* profitentur pij ſe nunquam poſſe deſerere Chriſtum τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα, *qui pro totius Servandorum Mundi ſalute paſſus eſt.* Juſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone* dicit Chriſtum *oblationem* factum eſſe *pro cunctis reſipiſcere volentibus.* Cyrillus Alexandrinus *in Ioh. lib.11. cap.19.* *Diſcrepare Iohannes à Salvatore alicui forſan videbitur; Salvator enim pro mundo hîc rogare abnuit;* (nempe Joh: 17.) *Ioannes autem non pro noſtris peccatis ſolum propitiationem & paracletum illum eſſe, ſed pro univerſo affirmat mundo. Verum beatus Ioannes, quoniam erat Iudæus, ne pro Iudæis tantum paracletus eſſe Dominus apud Patrem videretur, non autem pro aliis etiam gentibus quæ vocatæ obſequutæ ſunt, neceſſariò pro toto mundo adjecit, id eſt pro omnibus qui per fidem vocati ad juſtitiam & ſanctificationem pervenerint. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus, ſuos à non ſuis ſeparans, Pro eis, inquit,* TANTUMMODO *qui verba mea ſervant & jugum meum acceperunt rogo; Nam quorum Mediator atque Pontifex eſt, ipſis* TANTUMMODO *Mediationis bonum non injuriâ attribuit. Quos etiam datos ſibi fatetur; Et Patris eſſe non negat, cùm ad Patrem nullus acce-*

lus accedere queat nisi per Filium: Nemo, inquit, ad Patrem venit nisi per me. Ita & suo Filio & sibi ipsi Pater fideles acquisivit. Quod certè intelligens sacrarum literarum ille peritissimus inquit, Quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians: Recipiens enim Christus ut Mediator omnes qui per fidem ad eum concurrunt, & per seipsum Patri offerens, Deo mundum reconciliavit.

61. Ambrosius *de fide ad Grat. lib.4. cap.1. Si non credis, non tibi passus est*; & *Epist.23. lib.5. Pro quibus Christus passus est, & quos sanguine mundavit suo, pro iis interpellat & Spiritus.* At hoc non convenit omnibus, sed iis tantum qui Spiritum adoptionis acceperunt: Et plerique universalistarum fatentur ad solos Electos & fideles intercessionem ipsius Christi spectare: Hieronymus *in Matt.cap.20. Non dixit se animam suam redemptionem dare pro omnibus, sed pro multis, idest pro his qui credere voluerint.* Fides autem non est omnium. Et *in cap.14. Marci, Sanguis Novi Testamenti qui pro multis effundetur, non omnes emundat.* Prosper *lib.1. cap.3. de voc. gent. Habet populus Dei suam quoque plenitudinem: Et quamvis magna pars hominum salutis gratiam aut repellat aut negligat; in Electis tamen & præscitis atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.* Episcopi Africani *in epist. Synod. ex Sardinia scripta pag.13. Omnes prædestinati ipsi sunt quos vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione salvantur: Semper quippe voluntas Dei Omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur; Ipse est enim qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, & cujus voluntati nemo resistit.*

62. Ita Gregorius 1. *in lib. 1. hom. 2. super Ezech. Pro Electorum vita usq; ad mortem se tradidit Autor.* Et Haymo *in 2 Cor. 5. Innocenter mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitam.* Et Bernardus *serm. 10. in Psal.91. Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est, secundum Prædestinationem autem pro fratribus & amicis.* Et Hugo Cardinalis *ad cap.20. Matt. Christus dedit animam suam Redemptionem non pro omnibus, sed pro prædestinatis; interim sufficienter pro omnibus.* Et Petrus Galatinus superiori sæculo *lib.8. de Arc. Verit. Cath. cap.14. Licet passio ejus ad delenda omnia peccata sufficiens esse debebat, non tamen omnium peccata deletura erat, sed eorum duntaxat qui in eum credituri essent, atq; pœnitentiam*

acturi. Hos autem satis novisse Christum cùm pateretur, adeoque eorum duntaxat nomine & vice mortem oppetiisse, quis ausit negare?

63. Denique totam deberem retexere causam Gotteschalci, cujus Historiam accuratam edidit Ampliss. Vir *Gilbertus Mauguin, in tomo post. Vindic. Præd. & Gratia*, si omnes ei adstipulantes in rejicienda superflua taxatione sanguinis Christi, deberem commemorare. Sufficiat festinanti ad finem, quod B. Lupus Servatus, Presbyter Moguntinensis in libello *de tribus quæst. q.3.* hanc tractat ex professo; atq; inter alia sic loquitur; *Vt salvos fieri vult omnes quicunque salvantur, ita redimit omnes, quicunque redimuntur: Non autem salvantur omnes, nec verò redimuntur: Non itaque vult redimi aut salvari alios omnes, nisi qui redimuntur atque salvantur.* Et alter Lupus Ferrariensis, *in epistola ad Karolum Regem*, ita habet; *B. Augustinus aperiens populo sententiam Euangelij, Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis; Quomodo, äit, istis dixit, Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Similia habet *in Collectaneo de tribus quæstionibus, quæst.3.* Remigius Lugdunensis cum sua Ecclesia, *lib. de tribus epist. cap. 18.* negat *ullatenus* Christum venisse aut passum esse *pro omni illa innumerabili & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi usq; ad passionem Domini per quatuor ferè millia annorum in sua impietate sunt mortui*; unde ita concludit, *Cùm ergo pro illa inæstimabiliter majore humani generis parte quæ per tot millia annorum præcesserat, nullatenus credendus sit passus, nec pro ejus salute crucifixus; quid de ista utique minori parte infidelium & impiorum credendum est, qui post passionem ejus, usque ad mundi terminum aut extiterunt, aut existunt, aut futuri sunt? In quibus utiq; & homo ille nondum natus, Antichristus erit. Nam si ad istos tales Dominus salvandos venit, idest impios & in sua impietate perituros, ergo præstitit illis, quod illis antiquis impiis non præstitit*; &c.

64. Et cùm ab Hincmaro, anno 853. in Pseudo-Synodo Carisiaca quatuor Capitula edita fuissent contra Gotteschalum, quorum *quarto* id ipsum definiebatur quod asserit Innocentius, Christum pro omnibus & singulis passum esse, non solum idem Remigius & Ecclesia Lugdunensis quatuor illis Capitulis opposuit libellum *de tenenda veritate*

ritate Script. cujus *cap.15.* dicitur *& omnibus infidelibus nullam esse redemptionem in Christo, & omnes fideles qui fideliter accedunt ad fidem & gratiam regenerationis ibi accipere veram redemptionem, ubi accipiunt veram regenerationem*; sed insuper Concilium Valentinum tertium anno 855. celebratum, *can.4. illa Capitula quatuor* Hincmariana damnavit, & rejecto errore eorum qui statuunt sanguinem Christi *etiam pro illis impiis qui à mundi exordio usque ad passionem Domini, in sua impietate mortui aeternâ damnatione puniti sunt, effusum* esse, *illud simpliciter & fideliter tenendum ac docendum* sancivit, *juxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit, Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam aeternam* &c.

65. Haec definitio Synodi Valentinę à Synodo Lingonensi & Tullensi apud Saponarias recepta fuit, & à Nicolao Pontifice Romano, ut habent Annales Bertiniani, admissa fuit & approbata. Possem his omnibus adjicere Censuras utriusque Academiae Belgicae Hispanicae Duacenae & Lovaniensis: Sed cum haec ipsa Constitutio Papalis in eas stringatur, & Duacena prioris suae fidei oblata, videatur nunc in partes Jesuitarum transiisse, esseque in eorum triumpho quod senex ille purpuratus cum bulla aurea de collo pendente erat in Romanorum triumphis, ab earum testimonio lubens supersedeo; cùm ex iis quae hactenus disputata sunt satis liqueat Innocentij *Definitionem* & Dei Verbo, & Antiquitati saniori, quod demonstrandum erat, ex diametro adversari. Superpondij loco hoc addimus Innocentium rejiciendo doctrinam Augustini de Praedestinatione & gratia atque ei annexis materiis, deserere fidem suorum Praedecessorum in eadem Sede, qui semper professi sunt se in eo adhęrere doctrinae Augustini: Patet de Innocentio I. *ex epist. ad Concil. Mil. quae est 93. inter August.* De Zozimo, ex Baronio *ad ann. 417.* De Bonifacio ex Prospero *contra Collat. cap. 41.* De Coelestino ex eodem Prospero *ibid.* & ipsius Coelestini *epist. ad Episc. Galliar.* De Leone I. *ex omnibus ferè suis operibus* in quibus has tangit materias; De Gelasio ex Censuris quas stringit in Cassianum & Faustum Semipelagianos, *Can. Sancta Eccl. Rom. dist. 15.* De Hormisda, *ex Epist. Synod. Afric. Episc.* De Felice IV. & Bonifacio II. ex Synodo Arausicana II. cujus

praefatio

præfatio id demonstrat quoad priorem, & *confirmatio* quoad posteriorem.

66. Mitto Joh. II. Nicolaum I. Clementem VIII. Paulum V. de quibus quid senserint hac in causa, ex superioribus satis liquet: Sed quo magis constet Papam hodiernum, hunc Rubiconem transeundo, & ita palam insurgendo in doctrinam B. Augustini, apostatare à prisca suæ Sedis doctrina, unius Bellarmini adjiciam authoritatem: Is enim *lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 11.* multis docet doctrinam Augustini de Prædestinatione & Gratia, à Cœlestino, Leone, Gelasio, ita fuisse susceptam & approbatam contra Pelagianos & Semipelagianos, ut illius *sententia, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.* Apostatæ ergo à fide Catholica, Bellarmino judice, hodierni ejus Sodales, sententiæ Augustinianæ desertores & propugnatores Faustinianæ: Apostata à fide Catholica ipsemet Innocentius, Jesuitarum fautor & vindex adversus Jansenium, Jansenitas & Augustinum. Quapropter Gratiæ Divinæ & Veritatis Augustinianæ propugnatoribus, tam iniquè damnatis & hæreticorum Catalogo inscriptis, nihil mihi restat inculcandum de communione Romana præter illud Apoc: XVIII, 4. *Exite ex ea popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis;* Alliciat Deus Japhetum ut habitet in tentorijs Semi, sitque Canaan servus ejus. AMEN.

Cùm in superioribus aliquoties facta sit mentio Planctus Augustinianæ Veritatis in Belgio patientis, *paucis abhinc annis editi à Iansenitis, cum cogerentur authoritate Pontificiâ admittere Bullam Vrbani VIII. & Iansenij* Augustinum *conceptis verbis ejurare, operapretium me facturum existimavi, si illum, ut pote accuratum & lectu dignissimum, hîc curarem recudi in gratiam Lectoris, cùm nec eum reperire sit facile, & multum lucis huic nostræ Scriptioni ad Iniquitatem Curiæ Romanæ demonstrandam fœneretur.*

Planctus Veritatis Augustinianæ in Belgio patientis.

Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis Orbem, quique terrigenæ & filij hominum: simul in unum dives & pauper: Psalm. 48.

SANCTISSIMO DOMIMO NOSTRO INNOCENTIO X. PONTIFICI MAIXMO.

BEATISSIME PATER,

INter perniciosissimas Hæreses, quibus Satanas Ecclesiam impetiit, facilè sibi primum vendicat locum Ariana; quæ non tantum in vulgus virus suum immiserat, sed & primaria populorum capita invaserat; ut tandem errori manifestato, *ingemiscens Orbis terrarum se Arianum esse miratus sit.*

Viam sibi fecerunt Ariani, ut hæc pestilentissima tabes vehementius grassaretur & totum Orbem pervaderet, præoccupatâ potissimum amicitiâ & potestate Principum, quos adulationibus, ementitâ sanctitate, fucatâ scientiæ subtilioris apparentiâ, sibi devinxerunt: ita ut teste Severo Sulpitio, *(lib.2. Hist. Sacra.) Omnes ferè duarum Pannonicarum Episcopi, multique Orientalium, ac tota Asia, in eorum perfidiam conjurassent, quorum major pars coacti metu & factione in studia partium concesserunt; paucis quidem, quibus fides chara & veritas potior erat, injustum judicium non recipientibus.*

His porrò stratagematibus impium suum bellum aggressi sunt. Porrò namque piissimum Imperatorem *Constantinum* suis verborum lenociniis aggressi, in tantum progressi sunt ut (teste Severo) *Imperator depravaretur; dumque sibi Religionis officium videretur implere, vim persecutionis exercuerit: Pulsi in exilium Episcopi, sævitum in Clericos, animadversum in Laicos, qui se ab Arianorum communione separaverant.*

Actumque videbatur de fide Orthodoxa, nisi Nicæna Synodus

præoccupasset. Hujus enim mali causâ (inquit Severus) *Synodus apud Nicæam ex toto Orbe contrahitur; trecentis siquidem & duodeviginti Episcopis congregatis, fides plena conscribitur, hæresis Ariana damnatur, Imperator Decretum Episcopale complectitur. Ariani nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, Ecclesiis miscuerunt.*

Sed non stetit eorum perfidia: *manebat enim in pectoribus eorum insitum in Catholicos Viros odium.*

Secundum igitur stratagema aggrediuntur, & ut prosequitur Severus, *adversus quos de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisq; criminibus appetebant: Itaque primum* Athanasium *Alexandriæ Episcopum, Iuris Consultum, qui apud Nicænam Synodum Diaconus adfuerat, aggrediuntur, absentemq; damnant &c. Imperatoremq; eousq; compellunt, ut* Athanasius *exulatum ad Gallias mitteretur. Verum Orthodoxis injustitiam advertentibus, mox in Ægypto octoginta Episcopi congregati,* Athanasium *injuste condemnatum &c. pronunciant, & re ad Constantinum relatâ, Imperator jubet ex toto orbe apud Sardicam Episcopos congregari, atq; omne judicium, quo* Athanasius *damnatus fuerat retractari. Inter hæc Constantinus moritur: Synodus tamen congregata jam Constantino Imperatore,* Athanasium *absolvit.* Quid faciat demum coadunata Arianorum perfidia?

Tertiò nacti Imperatoris Constantij, hominis ad impia inclinati, substitutionem, Ariani sibi nihil prius agendum rati, quam ut *Athanasium* Ecclesiâ submoverent, qui semper eis, velut murus, obstiterat: In *Athanasium* iterum persecutionem movent; *& ubi dolo parum processerant, vi agere decernunt; nam quodlibet audere atque agere facilè erat, Regis amicitia subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant; Valens utique atq; Vrsatius Arianorum præcipua capita cum aliis suis asseclis ita Palatium Constantij occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret Imperator, obnoxius quidem omnibus, sed præcipuè Valenti deditus,* ob ficta utique miracula, & Angelicam revelationem de victoria Imperatori impositam. *Ita ut facilis ad credendum Imperator palam dicere solitus esset, se Valentis meritis non virtute exercitus vicisse. Ab hoc initio illecti Principis extulere animos Ariani, potestate Regis usuri ubi authoritate suâ parum valuissent.*

Igitur

Igitur (inquit Severus) *cùm sententiam eorum quam de* Athanasio *dederant nostri* (id est Orthodoxi) *non reciperent, Edictum ab Imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanasij non subscriberent, in exilium pellerentur:*

Quis tantæ violentiæ obsistat?

Cæterum, ait Severus, *à nostris* (utique Orthodoxis) *tum apud Arelatem, ac Buteras, oppida Galliarum Episcoporum Concilia fuere.* Et quidem hæc Orthodoxorum Sententia Universalis,

Petebat ut priusquam in Athanasium *subscribere cogerentur, de Fide potius disceptarent: nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset.*

Justa profectò & sancta postulatio. Advertebant enim Spiritu divino inspirati Orthodoxi Patres, larvam Arianorum; quippe qui, Liberio Pontifice asserente apud Baronium, Ecclesiam universam & fidem in *Athanasio* persequerentur; ut nimirum *Athanasio*, ut Catholicorum principe, accusato, & crimine hæreseôs condemnato, tota doctrina & fides Orthodoxorum damnata censeretur, Arianismus verò resurgeret ac triumpharet.

Hanc itaque postulationem omnes unanimiter Orthodoxi amplexati sunt, & si qui coacti subscribere (inter quos Dionysius Mediolanensium Episcopus) non aliter subscripserunt quam se

In Athanasij *damnationem consentire, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur.*

Sed hujusmodi subscriptio perfidę Arianorum intentioni non sufficit. *Valens enim sociiq; ejus,* ait Severus, *prius* Athanasij *damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc itaq; partium conflictu agitur in exilium* Paulinus *Trevirorum Episcopus,* & conficta ad placitum ab Arianis sub Imperatoris nomine Epistolâ omni pravitate refertâ, in sanctissimos Pontifices sævitur. Pelluntur in exilium *Eusebius Vercellensis, Lucifer à Carallis* Sardiniæ Episcopi, *Dionysius Mediolanensis* sequitur, *Hilarius Pictariensis* eandem subit damnationem, donec etiam caput Ecclesiæ *Liberius* Româ pelleretur. Ad Cathedras

soli promoventur, qui in Arianorum simulationem & perfidiam, spe aut metu, consentiunt; eoque devenitur, ut etiam *Vincentius Capuanus* Episcopus, primarius Sedis Apostolicæ Legatus, Arelatem à *Liberio* missus (qui & ad Concilium Nicænum nomine *Sylvestri* Papæ, honorificentissima Legatione fuerat perfunctus, & in Concilio Sardicensi Judex cum aliis sententiam pro absolutione & justificatione *Athanasij* tulerat, & Arianis summè contrarius fuerat) importunitate Arianorum & Constantij victus Imperio, fit deceptus, atque coactus damnationi *Athanasij* subscribere, cum *Fortunatiano* Aquileæ Episcopo & *Hermino* Thessalonicæ, magni tunc nominis viris; uti & subscripserunt plerique per Italiam Episcopi, inter quos & ipse *Liberius* Pontifex. Lugubres hos casus describit Eminentissimus Cardinalis Baronius, ad annum Christi 353. & seqq.

BEATISSIME PATER,

In ejusmodi ferè tempora nos devenisse, Filij tui Orthodoxi & obedientes in Belgio lugemus. Scena enim, quæ modo sub Titulo & Larva Reverendissimi *Iansenij*, Episcopi Iprensis, cum Clericis Societatis Jesu agitur, istius lugubris tragœdię filia est, & proles matri suæ non absimilis. Quod enim in *Athanasio* fecerunt Ariani ut Ecclesiam perderent, hoc in *Iansenio* faciunt Jesuitæ, ut antiquam de Gratia & Libero Arbitrio Orthodoxam doctrinam modò opprimant. Aures veritati præbe veritatis Arbiter & Judex, rem ab initio repetimus. Circa finem superioris sæculi, sub Ludovici Molinæ & Leonardi Lessij potissimum ducatu, quædam doctrina nova prodiit de Gratia, Libero Arbitrio & Prædestinatione, quæ quia Massiliensium seu Semipelagianorum caminos & fumos redolebat, & purissimæ Christi Redemptoris gratiæ integritati adversabatur, ac antiquis Orthodoxorum Scholis schisma quoddam invehebat, à facultatibus Academiarum Lovaniensis ac Duacensis, per censuras authenticas rejecta est, nec minus habita ab universitate Salmanticensi: tandemque liber Molinæ tanquam doctrinam non sanam continens apud S. Sedem accusatus est per Patres Prædicatores, non tamen illico parte inauditâ proscriptus.

Verùm Clemens VIII. rei gravitate perspectâ, multis impendiis

Romam

Romam evocatis e variis nationibus viris gravissimis & doctissimis, examen hujus rei instituit, hac Lege disputantibus præscriptâ ut doctrina S. Augustini totius disputationis norma esset ac regula.

Deniq. quod Clemens VIII. instituerat examen, Paulus V. ejusdem, uti sanctæ Sedis, ita & sanctæ voluntatis Successor, ad finem perduxit, Bullâ compilatâ (cujus exemplar in Archivis Pontificiis Romæ asservari à viris fide dignissimis intelligimus) quâ controversia tota ad mentem D. Augustini decidebatur, quinquaginta propositionibus Molinæ expresse diserteque damnatis.

Quamvis autem hæc Bulla promulgata non sit, ex ea nihilominus manifestè patet, quæ fuerit summorum Pontificum post tam diuturnum & serium examen, mens & sententia.

At quia Paulus V. quoad usque suam proferret, & publicam faceret sententiam (qui se oportuniori tempore, recenti scilicet contra Venetos bello intricatus, perstiturum pollicebatur) vetuisset, ne tantisper pars una aliam erroris argueret, Clerici Societatis hanc occasionem nacti, & hoc armistitio facti animosiores, dormientibus velut hominibus, libris & scriptis editis novitium Molinæ dogma, quod quia Socij inventum, Societati proprium fecerant, domi forisque propugnarunt.

Sic tamen, ut cum perpenderent, quicquid in hac materia novi extra S. Augustinum traderent, non minus de falsitate, quam novitate esse suspectum, Sanctissimum Doctorem, invitum licet & renitentem, in suas partes pertrahere & ad suas opiniones detorquere maximo conatu nisi sint; in hoc solo à Magistro suo recedentes, qui se Augustini castra deserere palam & apertè profiteri non erubuerat, (*a*) silente interea Ecclesiâ, dissimulantibus titulo quietis communis, Academiarum Doctoribus, quibus Orthodoxam doctrinam è pulpitis Scholarum tradi & disputari sufficere videbatur.

(*a*) Audite Molinam dicentem in Concord. Liberi Arbitrij qu. 23. art. 4. & 5. *Quia res est magni momenti & valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina Prædestinatione, à nemine, quem viderim, hucusque tradita, ideo satius hæc duxi paulò fusius explicare.* Paulò ante promiserat *quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare &c. neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque*

gianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quorum in Epistolis Prosperi *&* Hilarij *fit mentio, fuissent extinctæ.* Et rursus, *Neque vero dubito, quin ab Augustino & cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de Prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem Arbitrij cum* Divina *Gratia, Præscientia, & Prædestinatione, si eis proposita fuisset.* O vocem impudentem, & calamum viro religioso indignum, ac Sedis Apostolicæ judicium corrigentem, vel sibi perperam subjicientem! Quasi verò unus Molina vel doctior vel perspicacior vel sanctior fuisset S.S. Patribus, & S. Augustino, *cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia,* ait Ioannes Papa II.

Non defuêre tamen Primarij inter Theologos viri, dolentes Orthodoxæ doctrinæ triticum in Conciliis Milevitano, Carthaginensi, Arausicano, Diospolitano, Valentino, & aliis toties declaratæ, totiesque à Beatissimis Pontificibus approbatę, ex taciturnitate importuna, veluti culturæ neglectu, zizaniis novæ inventionis suffocari, & doctrinam S. Augustini, decretis Conciliorum & summorum Pontificum elogiis, totâ Ecclesiâ celebrem, & Canonibus inculcatam, eludi atq; in dies in majus ac majus discrimen adduci.

Hos inter, novissimis temporibus emicuit, Zelo Catholicæ Fidei & Veritatis accensus, Reverendissimus *Cornelius Iansenius*, ex Doctore Theologo Academiæ Lovaniensis, ad Episcopatum Iprensem assumptus, conflictibus contra hæreticos fæliciter confectis, vitæ probitate, pietate, omni eruditionis genere celeberrimus, qui disputationum molem in Sancti Augustini intellectu & sensu consistere animadvertens, uno volumine tribus Tomis distincto (cui 20. & amplius annis insudaverat) sinceram sancti Augustini mentem elucidare, ac toti orbi Christiano exponere voluit.

Quod opus (compositâ etiam præliminari epistolâ, eo jam edito demum repertâ) ut devotus Ecclesiæ filius summo Pontifici dedicabat; sed morte præventus, & ad Dei Judicium properans, executoribus Testamenti, publicæ luci tradendum commisit.

Prodeunte volumine, quam grata res fuit Augustini discipulis, tam acerba Clericis Societatis Molinæ Sectatoribus visa est; haud dubiè, quia Libri Author doctrinam & mores veterum Pelagianorum & Massiliensium accuratiùs describens, proprios ipsorum pariter descripsisse videretur. Ad arma igitur ab eis conclamatum est, & T hesibus,

sibus, Libellis, Concionibus bellum aggrediuntur.

Quia vero hæc pro voto non succedebant, ut quondam Ariani, (absit verbo Invidia) ita illi pariter in Proceribus, tum Ecclesiasticis tum sæcularibus, ludere attentarunt.

Cumque de fide & doctrina publicè cum Augustinianam Doctrinam profitentibus de Gratia & Libero Arbitrio disceptare diffiderent; fœlicis recordationis Urbani VIII. authoritatem & potestatem sibi conciliare figmentis & querimoniis fucatis sategerunt; non absimili Pelagianis exemplo, quos olim Zozimum Papam circumvenisse, Herote & Lazaro, Gallicanæ Ecclesię Episcopis, eorundem Pelagianorum accusatoribus, iram Pontificum sustinere coactis, testis est Baronius.

Obtrudunt itaque magnum crimen esse, Tractatum edidisse de Gratia, cum tamen ipsi non cessassent nec modò cessent, novos quotidie Libros de hac materia, novis suis dogmatis refertos procudere; ejus facti in alium censores, cujus quotidie erant rei; vel potius, quod consuetudine contrariâ legem prohibentem (si quæ fuerat) abrogando, licitum fecerant: ut qui justitiâ & ratione non poterant, authoritate superiore consequerentur.

Quod etsi non plenè pro suo voto, eatenus tamen consecuti sunt, ut Jansenij Liber, & non minus eorum Theses, aliaque utrimque scripta (quia de Gratia tractabant) à summo Pontifice prohibita sint.

Sed non hic stetit eorum conatus; in hoc præcipuè collimantibus Societatis istius Clericis, ut quemadmodum Ariani olim *Athanasium*, sic ipsi *Cornelium Iansenium* Ecclesiâ submoverent, sensim suam doctrinam neotericam, adversario tanto superato, antiquæ præferendam fore opinantes.

Hinc fictis criminibus Jansenium appetentes, persuadent in libro, cui titulus, Augustinus, propositiones à *Pio Quinto* proscriptas, resuscitari, & cum magno scandalo Catholicorum ac contemptu S. Sedis, defendi.

Quibus prætextibus demum obtinuêre, ut severiore censurâ feriretur: quo factum est, ut tota S. Augustini Doctrina ac Conciliorum Ecclesiasticorum & summorum Pontificum de Gratia & Li-

bero Arbitrio ex eodem Ecclesię Doctore desumpta sanctissima Decreta, in discrimen condemnatæ fidei vocarentur.

Passim enim adversarij occasione dictæ censuræ sententias plures S. Augustini damnatas esse, tum publicè, tum privatim, jactare cœperunt, quos inter quidam eò temeritatis processit, ut Ecclesiam à D. Augustini pædagogia liberandam esse ausus sit è pulpito proclamare, D. Augustinum Doctorem fuisse, qualis ipse erat, D. Augustinum argumentis & objectionibus Juliani Pelagianorum Coryphæi non satisfecisse, D. Augustini Theologiam de traductione peccati originalis rusticanam esse.

Quod ipsum Consilia Regia & viri inter Belgas Præstantissimi Prudentissimique animadvertentes, auditis magni Nominis Theologis, diplomate Apostolico promulgando supersedendum esse censuerunt: donec de rei veritate, totaque causæ substantia, S. Sedes partibus utrimque auditis juridicè cognovisset: Tantique res hæc visa est momenti, ut ea propter ad eandem S. Sedem è Belgio Legati missi fuerint, ad inquirendum de veritate diplomatis, ut si verum deprehenderent, Sanctitati suæ causas sub & obreptionis exponerent.

Verum Clerici Societatis Palatium Apostolicum ita præoccupaverant, ut paucis postquam dicti Deputati appulerant diebus, Eminentissimus Cardinalis Franc. Barberinus, qui tum illic omnia poterat & agebat, Abbatem S. Anastasię, Pontificium in hisce partibus Ministrum, de illorum adventu certiorem reddiderit, & simul securum, quod nunquam, ne per minimam quidem cogitationem, Sanctissimo Domino veniret in mentem, ut Bullam istam, quacunque sui parte immutaret, sed semper intenderet, ut observaretur, eique obtemperaretur. (a)

(a) Extractum ex copia Epistolæ ad Internuncium scriptæ, quæ, inter cæteros articulos ita sonat. *Ho volu'o dare à V.S. questa notitia, per che, si à caso il Dottore Sinnich, scrivesse alla Vniversita di Lovayna & ad altri diversamente & darsi speransa di revocatione o di moderatione della Bulla, par mantenerse tutta via vivi le contestle & parcere la comumacia de i refratari & disobedienti à questa Constitutione, possa V.S. sincerare ogni uno della verità del fatto, & assicurare l'Vniversita di Flandra & i Prelati di essa, che no cadera giamai un minimo pensiero nella mente della Santità sua, di alterare in qual si sia parte questa Bolle, ma stara sempre attenta, por che sia conservata & obedita, & V.S. prego dal Signore vero buenno: Roma 5. Decemb. 1643. Era soscrita dal Signore Card. Baberino.*

Evidens

Evidens protectò argumentum animi præoccupati, cujus & plura dicti Deputati in causæ progressu experimenta senserunt. Quidquid enim apud dictum Cardinalem fecerint, quidquid urserint, nunquam obtinere potuerunt, ut liber Jansenij legitimè examinaretur & cum D. Augustini Scriptis conferretur; unde tamen præcipuè pendet Jansenij defensio, ut qui nihil aliud intenderit quam explicare & fidelissimè proferre S. Augustini sensa.

Sed nec illud obtinere potuerunt, ut Bullam falsis extortam fuisse suggestionibus, argumentis in eam rem paratis ostendere liceret: tantum abest ut Jansenij Patroni à limine judicij arcendi sint, quasi satis superque auditi.

Enimverò si animo pacato & affectibus libero perpendantur ea, quæ per plures Ecclesiæ Belgicæ Prælatos, & Vniversitatis Deputatos acta sunt, partim Romæ, partim in Belgio, ad obtinendam legitimam audientiam & jus defensionis, cuilibet jure naturali & Divino debitæ, in causa tam gravi, justissimè conqueri licebit, in ea ipsa nos tempora incidisse de quibus olim conquestus est *Lactantius*, in re non prorsus absimili, alloquens Constantinum Imperatorem.

Non est, inquit, *apud me dubium*, ô Constantine *Imperator maxime, quin hoc opus nostrum, quo singularis ille rerum Conditor & hujus immensi Rector asseritur, si quis attigerit ex istis ineptè religiosis (ut sunt nimiâ suspicione impatientes) insectetur etiam maledictis, execretur, seque inexpiabili scelere contaminari atque astringi putet, si hæc aut legat patienter aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis jure postulamus ut non prius damnet, quam universa cognoverit. Nam si sacrilegis & proditoribus & veneficis, potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognitâ causâ licet: non injustè petere videmur, ut si quis erit ille, qui inciderit in hæc, si legat, perlegat; si audiat, sententiam differat in extremum: Sed novi hominum pertinaciam; nunquam impetrabimus. Timent ne à nobis revicti manus dare aliquando clamante ipsâ veritate cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant; & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus: Quo planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cum neque agnoscere, neque congredi audent, quia sciunt se facilè superari, & idcirco disceptatione sublatâ,*

Tellitur è medio Sapientia, vi geritur res,

ut ait Ennius. *Et quia ſtudent damnare tanquam nocentes, quos utique ſciunt innocentes, conſtare de ipſa innocentia nolunt. Quaſi verò major iniquitas ſit probatam Innocentiam damnaſſe, quam inauditam; ſed ut dixi, verentur, ne, ſi audierint, damnare non poſſint.* Hæc ille ſui, imò verò hujus infelicis temporis, accuratus & veriſſimus delineator.

Id tantum dictis Deputatis Romæ conceſſum eſt, ut remedium aliquod expoſcerent adverſus eos, qui occaſione dictæ Bullę, D. Auguſtini authoritatem in contemptum adducebant.

Super qua poſtulatione, poſt mortem Pontificis, decretum iis inſinuatnm fuit, tam longè à precibus quas porrexerant alienum, quam his quæ Cardinalis Barberinus Abbati S. Anaſtaſiæ literis panlò ante relatis addixerat conſentaneum.

Ut mirum videri non debeat, miniſtrorum operâ nomen *Ianſenij* in Bullam irrepſiſſe, etiamſi ſua Sanctitas non aliud mandaſſet, quam ut denuo Bulla Pij v. in nudis & puris terminis, ut ſonat, confirmaretur; diſertè *cavendo ne quis in ſua Bulla proprio nomine expreſſo ſugillaretur, [unde manifeſtum evadit prætenſam Bullam non eſſe conformem menti, mandato & decreto Pontificio ſed contrariam.]* ut vivæ vobis ſuæ oraculo dictis Deputatis ipſa ſua Sanctitas in prima audientia declaravit, eandemque declarationem poſtmodum iidem Deputati adhuc Romæ exiſtentes memoriali ſuo impreſſo, & oblato Eminentiſſimis Cardinalibus Commiſſariis Supremæ & Generalis Inquiſitionis, liberè & confidenter inſeruerunt; quod utique facere non præſumpſiſſent in ipſa Vrbe, præſente Cardinale Barberino, ipſoque Albitio prætenſæ Bullæ compilatore, & ſine evidenti periculo carceris, aut triremium, niſi Cardinalis & Albitius certò ſciviſſent Pontificem mentem ſuam claris & apertis verbis expreſſiſſe, ne ut dictum eſt nomen Janſenij Bullæ insereretur.

Non abſimili ſtratagemate Abbatem S. Anaſtaſię, tuum, BEATISSIME PATER, in Belgio Miniſtrum (ut olim Ariani Vincentium Capuanum Apoſtolicæ Sedis Legatum) ita in partes ſuas pellexerunt & captivarunt, ut vix aliquid ad Romanę Curię ſcientiam perveniat, niſi quod Jeſuitæ dicto Miniſtro dictaverint; pleraque

etiam secundum eorum dictamen & sententiam, mediante dicto Abbate S. Anastasiæ, ab eadem Curia decernantur.

Sed ne aliquid Arianæ inventionis his machinationibus desit; factitatione publicâ (Edicto tamen nec viso nec publicato, sed solâ Abbatis S. Anastasiæ assertione jactato) decernitur, ut deinceps nullus ad Dignitates & Officia Ecclesiastica, tam Sæcularia quam Regularia, promoveri valeat, nisi in damnationem *Iansenij* (ut olim *Athanasij*) subscripserit; imo juramento solemni *Iansenium* abjuraverit. (*a*) Atque hæc omnia fiunt prætextu quidem obedientiæ erga Bullam, ejusque obtentu, solâ tamen revera oculi nequam invidiâ in Antiquam & Orthodoxam S. Augustini doctrinam, à *Iansenio* fidelissimè expressam.

(*a*) Formula juramenti, quod exigit Abbas sanctæ Anastasiæ, Minister Apostolicus in Belgio.

Ego N.N. *profiteor me obedientem S. Romanæ Ecclesiæ, sanctissimo Domino nostro Innocentio X. Pontifici maximo, ejusque Successoribus: atque ideo me accepturum, prout de facto accepto debitâ submissione, Constitutionem felicis recordationis Urbani VIII. editam anno 19. sui Pontificatus, Incarnationis Dominicæ 1642. pridie Nonas Martij, quæ incipit,* In Eminenti Ecclesiæ, *in qua prohibetur Liber* Cornelij Iansenij *cui titulus* Augustinus; *quam Constitutionem ego integrè accepto, & cum ea in omnibus sentio & consentio, ac promitto me quantum in me fuerit curaturum, ut præfatam Constitutionem omnes & singuli accepient, & cum eadem in omnibus sentiant & consentiant: Ita spondeo & voveo ac juro: Ego idem* N. N. *Sic me Deus adjuvet & hæc S. Dei Euangelia.*

Nota 1. Hoc juramentum exigi ab omnibus prætendentibus aliquod beneficium, sive sint Theologi, sive non; sive librum intelligant aut legerint, sive non.

Nota 2. Bullam expressè dicere, in eodem libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo & auctoritatis S. Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi.

Consequenter, quicunque jurant se in omnibus cum dicta Bulla sentire & consentire, coram Deo & in effectu jurant, Jansenium revocasse & defendere multas propositiones damnatas, magno cum Catholicorum Scandalo & contemptu Sedis Apostolicæ. Quod tamen falsissimum est, & ex inspectione libri ad oculum patens. Hinc Facultas Theologica Lov. obtulit sæpiùs per libellum supplicem Sereniss. Archiduci Leopoldo, Bullam submissè recipere & strictissimè observare, si liber ille de unica hujusmodi propositione aut articulo convinci possit.

 Deinde

Deinde hi qui librum nec intelligunt nec legunt, non possunt factum illud de Iansenio affirmare sub juramento, sine evidenti & inexcusabili perjurio, quia jurant quod ipsis planè est incognitum. Et tamen omnes ad illius præstationem adiguntur importunè & sine differentia, privata auctoritate solius Internuncij, viri nullâ prorsus scientiâ Theologica imbuti, sine mandato Sedis Apostolicæ, de quo hactenus non constitit, & contra expressam voluntatem Regis, literis suis in Belgium scriptis sæpiùs declaratam. O tempora, o mores!

In causa non prorsus absimili, Thomas Morus, vir conditione Laicus, præcedenti sæculo coactus jurare in quandam Legem Henrici Angliæ Regis, constantiâ verè Christianâ, gloriosè restitit, ut latè describit Thomas Stapletonus in ejus vita. *Objiciebatur*, inquit, *illi quartò, Qui hoc juramentum præstiterunt tales ac tanti viri sunt, Episcopi, Doctores, Pastores, Religiosi, Nobiles & Illustres ac Præstantissimi viri, ut non solum non temerè vel absque periculo salutis, eorum judicio homo Laicus & non Nobilissimus accommodare se possit, verum etiam, quod accommodare debeat.*

Quintò & postremo objiciebatur, Cùm in plenis Regni comitiis publico omnium Ordinum consensu & auctoritate sancita res sit, existimant omnes ad ejus Decreti publicam confessionem & approbationem etiam in conscientia eum teneri: Propter has ergo causas alij temerè & inconsultè, alij periculosè, alij denique improbè & pertinaciter Morum agere clamitabant, qui pænè solus hoc juramentum præstare detrectaverit.

Ad hæc singula hoc ferè modo respondit Morus. *Ad quartum. Etsi omnes*, inquit, *in hoc Regno Docti, Prudentes, Boni aliter sentiant (quamquam facile fieri potest ut multi ex iis non idem sentiant, quod juramento sentire videntur) tamen in aliis Orbis Christiani partibus non pauciores sunt, qui idem mecum sentiunt. Ex iis autem, qui ante nos vixerunt, aut omnes, aut pænè omnes ejusdem sententiæ mecum fuêre: ut taceam de sanctis Ecclesiæ Doctoribus ac Patribus, qui idem planè docuerunt, atque senserunt: non omnes dico & singuli, sed certe tanto numero ut vehementer optem, meam animam eodem, quo illi sunt loco, ac statu esse.*

Ad Quintum atque postremum respondit. *Etsi leges civiles & locales obligent subditos sub pœna temporaria, atque interdum etiam sub æterna; tamen nemo tenetur juramento asserere, omnes tales leges legitimè esse ac rectè institutas. Nemo etiam legi Civili aut regali obedire tenetur, quæ rationi aut pietati adversatur: sed & in dogmatibus adhuc in Ecclesia dubiis & controversis, de quibus ipsi docti & sancti inter se dissentiunt salvâ Fidei compage, qui alterutram tenet sententiam (v.g. circa conceptionem beatæ Virginis, eam non esse conceptam in peccato originali) nec contra illam, quam tenet, ullâ lege jurare cogi potest, quia hoc esset contra conscientiam jurare, nec ut conscientiam suam mutet, & contrariam induat ullâ lege locali aut regionali cogi potest, quia talia determinatè credenda præscribere solius est Concilij Generalis, aut Legislatoris universalis. Iam verò in his, quæ planè sunt in aliam partem determinata per Concilia Generalia, aut Ecclesiæ consensum unanimem, contra illa sentire, loqui, conscientiam sibi formare, nulla cogente lege potest, qui Christianus est, & salvus esse vult: utcunque*

multi & docti id faciant, & suo exemplo alios ad se pertrahere conantur. Hactenus Morus & post eum Stapletonus d. loco.

Quis vero tam peregrinus in Doctrina Augustiniana & Decretis Conciliorum antiquorum de materia Prædestinationis, Gratię Christi, Liberi Arbitrij, qui non videat masculas istas responsiones Prudentissimi & Illustrissimi viri, Angliæ quondam Cancellarij & Martyris, amplissimè quadrare in præsentes novitates & conatus de extorquendo juramento adversus Augustinum Ianseni, ut antiqua doctrina S. Augustini, ipsiusque Ecclesię suffocetur, & intrudatur nova Molinistica, priscis sæculis prorsus incognita, ipso teste & affectore Molina?

Cum enim Theses Jesuitarum & alia eorum scripta, eandem damnationem in Bulla habeant, solus isto edicto & profano Juramento, *Iansenij* liber, nullâ facta mentione opusculorum partis adversæ eidem damnationi subjectorum, abjuratur, ut abjecta S. Augustini doctrinâ Molina cum suis prævaleat.

Ita consequenter fit ut digni à Dignitatibus & Officiis arceantur, indigni assumantur: nec ullus Dignitate, Officio, aut Beneficio deinceps donetur, nisi qui abjuratâ, in *Iansenio* Augustini doctrinâ, se Jesuitarum dogmata, sensus, judicia, secuturum aut profiteatur, aut mentiatur. Et hæc omnia nomine Sanctitatis tuæ peraguntur: in quem errorem etiam aliqui Principes Viri (ut olim Imperator Constantinus) abducti sunt, qui se putant officium Religionis implere, dum partes Societatis strenuè tuentur.

BEATISSIME PATER,

His malis acti coactique ad tuos pedes supradicta omnia, ut narrata sunt, non maledicentiæ alicujus affectu, sed veritatis (quam Juridicè probare intendimus) Zelo & amore deferimus. Scimus premi posse, sed nunquam opprimi veritatem: Istis tamen sic consistentibus erumpere ipsa non potest, nisi obstetricante tuâ Sapientiâ & intemeratæ Sedis incorruptâ manu. Tuam igitur Justitiam obtestamur, & cum Orthodoxis Patribus tempore persecutionis Arianę, subscribere quidem diplomati Urbani VIII. Prædecessoris tui non recusamus, imò nec in damnationem *Iansenij* (si demeruisse inveniatur) consentire: sed unicam Orthodoxorum Patrum postulationem, eadem & æquali justitiâ, iisdemque verbis positam, repeti-

mus, & à Tua Beatitudine audiri efflagitamus, & urgemus, nimirum,

Vt priusquam in Jansenium *subscribere cogamur, de Fide potius disceptetur, nec tum demum de re cognoscatur, cum de persona judicium constiterit.*

Hæc est postulatio ab Orthodoxis Patribus antiquitùs proposita, & eorum sanctitate firmata, quam tua Justitia, BEATISSIME PATER, repudiare non potest, utpote jure Divino humanoque subnixam, quæ fraudibus omnibus viam præcludit ac injuriosam præoccupationem aufert, quâ Adversarij, Arianorum vestigiis insistentes, *prius personæ damnationem extorquere cupiunt, de fide & rei substantia disputare non ausi.* Et quia cum Hilario Fidei extremum periculum advertimus, tribus infra positis Libellis Tuam benignam & justam audientiam exoramus.

Primus Libellus Fidei.

Adverte, BEATISSIME PATER, sub larva condemnationis libri *Iansenij*, doctrinam Orthodoxam gratiæ per Christum, infallibilitatemq; S. Sedis & Conciliorum Ecclesiasticorum, in discrimen vocari. S. Augustini toto Orbe celebrem, & ab Ecclesia canonizatam doctrinam enervari, ut Neoterica Jesuitarum subinferatur. Fidem igitur Antiquam, Apostolicam, Catholicam, Romanam, quam tenet & tenuit Sancta Mater Ecclesia, quamque Sacrosancta Concilia & Patres Orthodoxi tenuerunt, postulamus tuâ authoritate protegi; Tuâ Sapientiâ à mendis & spuriis vitulaminbus Novantium expurgari; Gratiam Redemptionis per Christum Dominum nostrum, quâ Christiani sumus, (ait S. Augustinus) & à Philosophis Gentilium distinguimur, puritati pristinæ & gloriæ suæ restitui. Illa enim, quam *gloriam Gratiæ* vocat Apostolus, tam ingloria jam est, & eo contemptus in Belgio venit, ut qui vel *Gratiæ* nomen in publicis aut privatis concionibus proferre audet, illicò suspicionem violatæ authoritatis Bullæ Urbani VIII. incurrat. Quia igitur inobedientiæ erga Sanctam Sedem, imò & hæreseôs impudenter

denter insimulamur, hunc tibi nostræ Obedientiæ & Fidei Libellum præsentamus.

Protestatio Fidei.

Nos igitur Orthodoxæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ filij, Fidem nostram ac Obedientiam subjectis punctis notam fieri omnibus desiderantes, Primò Obedientiam fidelem & sinceram, religiosam & efficacem, Tibi, SANCTISSIME PATER, Tuæ Cathedræ, tuis Successoribus, ac universali Romanæ Ecclesiæ scripto hoc devovemus & nuncupamus.

Secundò Fidem, quam Romana, Catholica, Apostolica ac Orthodoxa hactenus tenuit, tenet, & usque ad mundi finem tenebit Ecclesia, in omnibus ac singulis Decretis, Articulis, Propositionibus, Definitionibus, profitemur & amplectimur, & omni errori, doctrinę, dogmati, & opinioni illis contrario abrenunciamus.

Tertiò, Infallibilitatem Sedis Apostolicæ in rebus Fidei decernendis agnoscimus & confitemur.

Et in materia Prædestinationis, de Gratia Christi & Libero Arbitrio specialiter, infallibilitatem S. Sedis suspicimus quam & in Tuam Beatitudinem, SANCTISSIME PATER, Divinâ Providentiâ derivatam esse agnoscimus, & omni circa materiam illam errori, vel peregrinæ aut novæ interpretationi renunciamus.

Quartò, Et quia specialissimè contra Pelagianos, & Massilienses sive Semipelagianos materia illa de Prædestinatione, Gratia Christi, Libero Arbitrio, in Conciliis Africanis & Arausicano, Antesignano S. Augustino, sive in persona sivę in doctrina sua, terminos & declarationes suas accepit, conformiter ad fundamenta quę Salvator noster in Euangelio aperuit, & doctrinam quam S. S. Apostoli *Petrus & Paulus* tradiderunt, ac Patres Orthodoxi docuerunt, & novissimè Concilium Oecumenicum Tridentinum compendio perstrinxit, Decreta & fidem in præfatis Conciliis definitam amplectimur; repudiantes, quidquid vel hæretica pravitas, vel curiosa novitas, vel incerta scientiæ subtilitas, in quacunque Schola illis difforme adinvenit; abhorrentes à novis nominibus quæ humana discordia finxit & sparsit, ut nonnulli Molinistæ, Lessiani, Janse-

niani

niani, nuncupentur: sufficere autem nobis, quod Christiani & Catholici simus & appellemur.

Quintò proscribimus omnes Propositiones à Pio v. proscriptas, eâ Censurâ & eo sensu quo proscriptæ sunt, & eos qui illas resuscitant, & in sensu damnato defendunt, à nostro consortio rejicimus.

Secundus Libellus Iustitiæ.

Et quia Orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ filij sumus, quales nos profitemur, hinc pro tuenda S. *Augustini* doctrina, eidem S. Matri nostrę *in dotem* relicta, detinet nos pia sollicitudo quo minus in condemnationem Libri *Iansenij* (cui titulus Augustinus) subscribere audeamus. Ignorare enim non possumus defœcatissimam doctrinam S. *Augustini* in materia de Gratia, quam secundum summorum Pontificum Decreta, (*Ioan. Papa 2.*) *Romana servat & sequitur Ecclesia*, cum magno scandalo & authoritatis S. Sedis contemptu in gravissimum discrimen reprobatæ doctrinæ adduci per prædicti libri proscriptionem, ut qui nihil aliud contineat, quam ex omni parte sibi consonantem ejusdem S. Augustini doctrinam, uti (ne temerè à nobis dictum existimetur) parati sumus in judicio contentioso liquidè demonstrare. Quare Tuam & Sanctæ Sedis æquitatem obtestamur,

Primò, quatenus Adversariis injungatur, ut si quas Propositiones doctrinales in eo libro contineri contendant, quę non sunt *Augustini*, easdem specialiter & in individuo designent.

Secundò, ut euocatis Episcopis & primariis Academiarum Professoribus, eædem Propositiones judicialiter examinentur, & factâ accuratâ & fideli cum S. *Augustini* scriptis collatione, dispiciatur an reverâ ejusdem *Augustini* non sint.

Quod si dicto examine facto deprehendatur allegatas Propositiones (ut tamen neutiquam existimamus) Augustini non esse, parati sumus in condemnationem libri *Iansenij* subscribere.

Tertius Libellus Charitatis.

Et ut Charitas Christiana defuncto *Cornelio Iansenio* non desit, cùm ad Judicium Ecclesiæ & *Beatitudinis Tuæ* Tribunal à Jesuitis evocetur,

evocetur, quasi multas ex Propositionibus à Prædecessoribus tuis olim damnatas, *magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis S. Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendat*, imò & passim ab iisdem tanquam gravissimi criminis hæreseôs reus traducatur, Nos alij Theophili Augustiniani in Belgio, cum Quæstio sit FACTI & non JURIS, ad ipsius Libri contextum merum & literam appellamus, invocato nomine Domini, coram Sanctitate Tua litem contestari parati, adversus Clericos Societatis, & omnes alios, qui prædictum crimen Jansenio imponunt,

Intendentes,

,, Primò Probare illud esse calumniam meram & malitiosum figmentum.

,, 2. Petere jus dici tum super hac calumnia, tum super aliis, specialiter hæreseôs quæ dicto *Cornelio Iansenio* ab adversariis afflictæ sunt.

,, 3. Subire velle pœnam Talionis, si non probaverimus, modò ipsi (calumniis probatis) pœnam falsi subeant.

His omnibus sic propositis Fidem, Justitiam, Charitatem, quæ in Tua Sede residet, invocamus, ut Anathema tollatur de medio Filiorum tuorum, S. Sedis integritas conservetur, honos defuncto Episcopo restituatur, & adversus maledicorum linguas viri probi tutelam accipiant. A te malè (ut prætendimus) informato ad melius informandum appellantes; confisi *S. Sedem patienter sustinere, si Iustitia & Informatio veridica tollat, quod pravâ fuerit illi insinuatione suggestum.* (*Cap. 2. x. de Rescriptis*)

Toti autem Orbi hunc nostrum libellum manifestum fieri rogamus, ut Imperator, Reges, Principes, ac Populi, ad quos hæc controversia pervenit, nos publicè & privatim Fidem Romanam intemeratam coluisse, Obedientiam debitam voluisse reddere, Justitiam quęsivisse, Pacem servare contendisse, agnoscant.

Tua BEATITUDO sit Judex, Omnes Principes Arbitri & Testes.

Amice Lector,

Secundum Libellum supplicem Serenissimo Archiduci LEOPOLDO circa initium anni 1648. oblatum nomine Academiæ Lovaniensis, quoad præsentem materiam, ad me fideliter missum, non potui non publicum facere, ut omnibus constet, quam justa sit illius petitio, quam humilis & submissa in Sedem Apostolicam reverentia; & sonat prout sequitur.

SERENISSIME PRINCEPS,

Quod iterum Celsitudinem suam inter gravissimas Belgij curas interpellet *Academia Lovaniensis*, movet eam, & ut credit, justissimè, gravitas & pondus illius causæ, quam nuper Libello eidem suæ Celsitudini oblato humillimè exposuit: Libri nimirum Reverendissimi Domini *Cornelij Iansenij* Iprensium quondam Episcopi (qui inscribitur Augustinus) Bullâ fœlicis recordationis Urbani VIII. nuper proscripti: Tantus sanè dictæ Academiæ zelus est, etiam inde à prima sua erectione, tam prompta erga Sedem Apostolicam obedientia, tanta illius Sedis, ac verę Apostolicę Romanę doctrinę adversus vicinos & domesticos penè hæreticos defensio & propugnatio, ut eo nomine ab ipsa Sancta Sede non elogia tantum publica, sed & amplissima privilegia, & liberalitatem promeruerit; à qua quidem obedientia, in qua hactenus fuit constantissima, nullo unquam tempore, Deo dante, poterit dimoveri.

Verùm cùm prædicta Bulla eo potissimum innitatur fundamento, quod in dicto libro multæ ex damnatis olim Propositionibus contineantur, *& magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatam damnationem renoventur ac defendantur, in scandalum totius Christianæ Reipublicæ, & Fidei Catholicæ perniciem*; Id vero indubiè sit facti, nec novum sit, Pontifices quandoque in facto decipi, prout exemplo Zozimi in hac eadem materia ab Cœlestio Hæretico circumventi patet, ac id ipsum in hoc quoque negocio evenisse certum habeat dicta Academia.

Ut illud faciliùs & expeditiùs demonstrari possit, supplicat quam potest humillimè, ex multis illis olim à Sancta Sede damnatis Propositio-

positionibus, vel unicam designari, quam, ut ante dictum est, renovet ac defendat Iprensis Episcopus aut etiam, si id placeat, unicum doctrinæ, quam toto suo opere tractat, capitalem articulum qui cum doctrina & mente *S. Augustini* non conveniat; atque Serenissima sua Celsitudo Commissarios delegare dignetur coram quibus contrarium, quatenus in facto consistit, ostendi queat, & causa scripto instrui & sic instructa ab eadem sua Celsitudine, si ita visum fuerit, mitti ad Regiam suam Majestatem & ab illa ad Sanctam Sedem, judicio ejus determinanda.

Quod si contingat ab Universitate quod promittit non præstari, ac dictum librum vel de unica istiusmodi Propositione sive articulo convinci, declarat se paratissimam cum omni submissione Bullam suscipere, & in omnibus strictissimè observare.

Prælati etiam Ordinis Præmonstratensis Circariæ Brabantinæ Innocentiam Reverendissimi Domini *Iansenij* ostendere & defendere parati, per libellum supplicem petierunt audiri in Cancellaria Brabantiæ: Sed neque hi, neque Facultas Theologica, ut supra, auditi sunt in judicio; Judicet orbis universus,

An major iniquitas sit, probatam Innocentiam damnasse, quam inauditam, ut ait
LACTANTIUS.

Errata

Errata quædam typographica.

IN *Parte* 1. §. 3. *lin.* 4. *pro* Libere *lege* Libero. §. 7, *lin.* 11. *pro* Reformatis Doctor. *lege* Protestantibus & Reform. Doctor. §. 18. *lin.* 3. *pro* licuit *lege* liquit. §. 30. *lin.* 2. *pro* detrimentum *lege* detrimentum. *In parte* 2. §. 9. *lin.* 2. *pro* eum *lege* id. & *lin.* 4. *pro* illum *lege* illud. *In parte* 3. §. 55, *lin* 2. *pro* passim *lege* passum. & *lin* 15. *pro electiorum lege electorum.* §. 59. *lin.* 14. *pro* extraordinara *lege* extraordinaria. §. 65. *lin.* 6. *pro* oblata *lege* oblita. *Pag.* 109. *lin.* 13. *pro* errori *lege* errore. *Ibid. lin.* 25. *pro* Porrò *lege* Primò. *Pag.* 115. *lin.* 18. *pro* qui *lege* quod. *Quæ superer unt istius generis, facilè æquus Lector corriget vel excusabit.*

